METHODVS GENERALIS

# COGNOSCENDI PRÆDICENDI, ET CVRANDI MORBOS.

eorumq; Symptomata.



*Ad veterum, maximéque Hippocratis & Galeni normam exacta.*

AD ILLVSTRISS. ET REVERIN.

CAR. DE COMITIBVS

BARONEM ROMANVM EPISC.

Anconitanum & Auenionen.

VICELEGATVM.






*Authore* IACOBO FONTANO

*Sammaximitano.*






*AVENIONE*
Ex Typog. IACOBI BRAMEREAV.
1601.





*ILLVSTRISS.*

# AC REVERENDISS. DOMINO D. CAROLO DE COMITIBVS, BARONI ROMANO, Episcopo Anconitano, & Auenionensi VICELEGATO.



*Aboribus prope innumeris ars medica fuit inuenta primùm (Prolegate Illustrissime, & Reuerendissime) ac deinde non paucioribus ab antiquis sensim decorata. A quorum monumentis firmissimis recedere, illi temerè sũt ausi, qui ambitioso, vel potiùs pernicioso rerum nouarũ studio,*

† 2 *omnia*

*omnia pro libidine inuertere, & peruertere conantur, ac si vnius hominis deprauata sensa (quæ solet esse effrenata hæresiarcharum, & sectas nouas instituentium audacia) multorum, ac pene infinitorum bene sentientium labores essent superatura. Horum temeraria ambitio miserabili, & abiecto præceptionum futiliũ contemptu iãdiu fuit depressa. Prauorum namque dogmatum finis extremus solet esse neglectus, & profunda obliuio.*

*Illi verò qui antiquorum placitis toto pectore adhæserunt, non omnes ab illis traditas methodos ad amußim obseruarũt: sine quibus tamen ars medica perfectio-*

*nem*

*nem ſuam ſeruare nullo pacto poteſt. Atque ob eam rem, quaſi inſcij, pedetentim à ſplendore doctrinæ antiquorum receſſerunt. Vnus Galenus methodi excellentia omnibus præluxit. Eum qui accuratè ſectetur pauci exiſtunt: præſertim in ea parte Medicinæ deſcribenda, quæ ad praxim pertinet. Eius rei faciunt fidem multorum libri editi, non ſine magna artis confuſione: quam in libris noſtris De demõſtratione Medica, ex Ariſtotelis, & Galeni inſtitutis expungere ſum conatus.*

*In hoc verò documẽtis veræ artis Medicæ, ex Hippocrate, & Galeno deſumptis, idem præſtare enitar. In quo peragendo, cum in-*

*finitos obtrectatores, quibus nostra ætas scatet, mihi futuros prospiciam, sacram anchoram, & asylum mihi studiosè quærendum, è re mea duxi. In ea verò perquisitione occurunt Illustrissimæ, & florentissimæ Comteæ familiæ clarissimum nomen, tuæ eximiæ virtutes, & præclarè gesta, quæ inuictissimo propugnaculo mihi cõtra obtrectantium conuitia esse possunt.*

*Præter enim multos, ac summos rei bellicæ præclaros viros Cõteæ familiæ, septuaginta quinque Cardinales Illustrissimos & vndecim Pontifices Maximos extitisse omnibus clarum, & perspectum est. Hi tam fuere præstã-*

*tes*

*tes, vt octoginta ſex familijs il-luſtrandis facilè ſatis eſſe poſſent. Cum ergo vna familia omnium ſplendorem complectatur, meritò Illuſtriſſima dici poteſt, & meretur.*


*In te verò (Prolegate Illuſtriſſime, & ſapientiſſime) lucent illæ virtutes, quæ optimos rerumpublicarum gubernatores exornare ſolent, prudentia, æquitas, ſapientia, & erga ciues ſumma charitas. Eas expertæ ſunt, quas etiam ſuſpiciunt, venerantur, & miris efferunt laudibus, illæ reſpublicæ, quibus honorificentiſſimè præfuiſti: Viterbi nimirum ſub ſummo Pontifice F. M. GREGORIO XIII: Peruſiæ, Vm-*

*briæ, Camerinæ, ac tandem Ferrariæ, quæ te nuntio extraordinariè misso à summo Pontifice, ad Cæsaream maiestatem, eam libertatem, & pacem obtinuit, qua his tẽporibus felicissimè fruitur. Huius verò Auenionensis ciuitatis, & totius Venaissini Comitatus incolæ, quibus nunc præes, magnis tuis iam beneficijs deuincti idem cum superioribus ingenuè profitentur. Hæc omnia præclara cui non possent esse propugnaculo?*

*Bene ergo mihi prospexi, licet audacter nimis: quòd nullis meis in te obsequijs hos fauores promeruerim. Fateor: obsequi tamen tibi cum mihi summa sit voluntas, il-*

*los*

*los libenter erogabis : vt in posterum magis ac magis tibi deuinciar, & obsequar. Cui, ob tam grande in me collatum beneficium, & Christianæ reipublicæ felicitatem, nestoreos annos exopto. VALE.*



A D



*AD EVNDEM*

# ILLVSTRISS. VICELEGATVM.

## *P. Guirandus Aloſianus*

## IVRIS P.

SI te laudemus
   magna quòd natus in vrbe,
Laus ea non hominis,
   ſed magis vrbis erit.
Si te laudemus,
   clara quòd ſtirpe creatus,
Laus ea non te te,
   ſed mage tanget Avos.
Si te laudemus,
   titulis quòd maximus extes,
Laus ea fortunæ eſt,
   non erit illa tua.
Si te laudemus,
   quòd ſis virtute coruſcans.
Virtus ſola tua eſt,
   laus ea ſola tua.
Hanc admirari,
   ſed non laudare valemus:
Eſt ſiquidem virtus
   laus ſua ſola ſibi.
Ingenio & genio
   quantus ſis dicere: certè
Nullius (vt reor) eſt
   ingenij aut genij.



## DE D.

# IACOBO FONTANO.

## *Idem Guirandus.*

*SI cupias verè præsentem noſcere morbum,*
*Fontanus Doctor, ſeu mage ductor erit.*
*Euentus varios ſi vis prænoſcere morbi,*
*Intrepidè loquitur, nec ſecus ex Tripode.*
*Denique ſi cupias morbum curare: decenter,*
*Et placidè morbus viribus orbus erit.*
*Quid mirum? in rebus, quæ ſpectant ſemper ad artem,*
*Non eſt mendicus, verus at eſt Medicus.*
*Nam ſi docta velis priſcæ documenta Sophiæ,*
*Fontanum dicis? dicis Ariſtotelem.*
*Humani quæris ſtructuram corporis? illi*
*Interiora, ſicut exteriora, patent.*
*Si placet herbarum tandem miranda poteſtas,*
*Fontanum dices eſſe Dïoſcoridem.*
*Vis mores? illi quod ſunt, tot ſunt & amores:*
*Priſcus honos, priſca vt dogmata, priſca fides.*
*Hic (vt doctrina) morum candore Galenum*
*Aequat, & hunc ſuperat relligione pia.*
*Sed cur ipſe Culex Aquilam ſubtollere tento!*
*Et Formica grauem cur Elephanta vehat?*
*Maximus eſt meritis, minimus ſum laude poëſis:*
*Eſt nimis Hippocrates, ſum nimis Harpocrates.*

IN



*IN LIBROS*

# METHODI MEDENDI IACOBI FONTANI MEDICI Auenionen. eruditissimi.

## *Alziarij Bochani Podimossonensis Medicinæ candidati.*

SÆpius impuros Medicinæ Gallia fontes
  Viderat, impuras vnde bibebat aquas.
Vel si fortè aliquos latices spectaret amænos,
  His erat immensus labra rigare labos.
Námq; vel in medijs scopulis, salebrísque fluebāt,
  Vnde fluens amnis triste terebat iter.
Sed tuus illimis, nitida crystallinus vnda
  Fons, Fontane, via commodiore fluit.
Tendit iter placidum, in valles, camposq́ue iacētes,
  Et crepitans leni murmure currit aqua.
Hunc nulli silices frangunt, nec saxa morantur,
  Nec labyrinthæis flexibus egreditur.
Præterea æstiuo nunquam consumitur æstu,
  Sed similis semper labitur vnda sibi.
Hunc potum propera, propera, mea Gallia, fontem:
  Atque huius laticis pocula crebra cape.

AD



# AD D. FONTANVM MEDICVM DE SVA METHODO.

*Vtores prisci congestos agmine morbos*
*Confuso causas ordine signa docent:*
*Deuia sectantes, quorum vestigia multi*
*Curarunt cæco languida membra modo.*
*A te spes primò certa est allata salutis:*
*Pellendi morbos rectior orta via.*
*Ordinis hæc ratio reliquis præstantior vna*
*Singula disponens quæ iacuere diu.*
*Sic Ariadna suum deduxit Thesea fortem*
*Per cæcos aditus, monstra domanda docens.*
*Tu iuuenes artis ducis per limina cæca:*
*Cœlestis methodi munere cuncta locans.*

*Stephanus Molineus*
*Medicus.*

---

*Ad eundem de eadem.*

Quanto præcellit corpus mens cœlica: tanto
Scripta tuum veterum lãguida vincit opus.
Corpus formarunt, mentem, Fontane, dedisti:
Quî? medicis Methodus mẽs erit ista libris.

*ANTONIVS BRONODVS*
*Medicinæ candidatus.*



# INDEX CAPITVM
## *HVIVS METHODI.*

## LIBRI I.

### De cognitione.



## LIBRI II.

### De prædictione.

## LIB. III.

## De curatione.

### PARTIS PRIMÆ.



### PARTIS SECVNDÆ.



### PARTIS TERTIÆ.

## De curatione per medicamenta.



## Exercitationes III.

## AD LECTOREM.

EN tibi (lector candide) nostra methodus, verum specimen cæterorum, quæ domi parata sunt in vniuersam artem medicam Libuit experiri, quid doctorum, simul & proborum ferant palata. Hæc si placeant, placebunt reliqua, propediem luce donanda. Sin minùs: hæc tibi, illa verò iam tineis sunt dicata.

Et hac de re te admonitum volo, quædam, inter aut describendum, aut excudendum irrepsisse, quæ sic legas rogo, atque obtestor. Pag. 4. 6. in, *in 6. Epid.* Ibid. *aph.* 22. p. 62. suppres- *suppreßio*. p. 68. vehementi rerum, *renum*, p. 72. lege *substantia partis solida*. p. 153. *l.* 3. p. 192. dele, *Nam si aperiantur venæ*, &c. p. 238. in tit. De rebus, *De moribus Medicor.* Ibid. in m. intentum *interitum*. p. 259. in f. dele, *videat num sit dicendum antecedens*. p. 301. in m. non si existat, *non mirum si*. p. 321. *alleuiatio*. Cætera credo parum mouere.

LIBER



# LIBER PRIMVS DE METHODO GENERALI MORBORVM COGNOSCENDORVM, & eorum quæ in morbis cõtingunt.

## *Quid methodus & quænam species methodi sit Medico sequenda.*

## CAPVT. I.



Ethodus versatur in vniuersalibus: exercitatio verò in specialibus, aut particularibus. Methodus consistit in multis rebus; nam quæ methodo disponũtur ad se mutuò referuntur. At vnius, quatenũs vnum est, nulla relatio fingi potest. Oportet præterea illa multa, diuersa esse: nam in rebus methodo digestis, sunt diuersi gradus, per relationem ad aliquod primum. Res illę variæ collocan-

tur aut confusè,aut distinctè; confusa collocatio dicitur,cùm res suo loco nõ ponuntur, id est, vt ratio postulat; cuius munus est ordinis normam dictare. Sequitur ergo,vt ordo,& collocatio distincta pẽdeat ex regulis à ratione ductis;quibus perscribitur qua sede vnum quodque sit collocandum. Ratio illa, & norma ordinis, vocatur methodus. Verùm ordo consistit in relatione prioris,& posterioris:prius autem,& posterius dicuntur comparatione facta ad aliquod primum. Oportet ergo vt illæ res,quæ ordine collocantur, ad vnum quid primum referantur; cuius ratione,alia priora,alia posteriora dicantur. Omnisque regula methodi nascitur ex comparatione eorum, quæ ad ipsum primum referuntur,cum ipso primo.

Erit ergo methodus,Institutio ordinis, in multis rebus diuersis, ad vnum aliquod primum pertinentibus, & relatis,quæ eundem gradum non seruãt. Methodus verò medica curatiua, erit Ordinis ratio,& institutio in multis indicatis,ad eundẽ scopum Medico propositum

positum pertinentibus, quæ diuersum in eo gradum, & locum obtinent. Hoc confirmatur Gal. sententia 2. lib. meth. med. cap. 7. Scribit enim: *Quisquis condere medendi methodum ad vnguem parat, huic à primis indicationibus est auspicandū: atque hinc ad eas, quæ deinceps sunt, transeundum; rursusq́ ab ijs ad proximas, & ita pergenti non prius desistēdum, quàm sit finis compos.*

Ex quo perspicuum est, Medicum in medendo vti methodo resolutionis, quod confirmat Gal. cap. 10. lib. 11. metho. *Quod vltimum in ipsa resolutiua methodo inuentum, id primum omnium in curatione est peragendum*, ordine resolutionis. Primò namque Medicus sibi proponit finem, siue scopū: deinde, regrediendo, querit remedia ad ipsum scopum acquirendum; idq́; per indicationes, à quibus indicata nascũtur, vt indicationes ab indicantib⁹, quę dum methodo, & ordine disponuntur à Medico, is dicitur methodicè mederi. Proponatur itaq; iuuenis aliquis robustus, laborans febre ardente: multa ad illum

ſanandum ſunt neceſſaria, quæ per indicationes ſunt conſtituenda; nempe humorum præparatio, purgatio, ſanguinis detractio, clyſteris exhibitio, cucurbitularum applicatio, & alia multa. Qui huic ægroto voluerit methodicè mederi, oportet vt in illis remedijs ordinem conſtituat, per methodi regulas, quæ docent, quo modo indicata debeant diſponi: vt regula eſt Gal. cōmen. 6. in Epid. Cū purgationis, ait, & venæ ſectionis ſimul aderit neceſſitas; quòd à ſanguinis miſſione ſit auſpicãdum nemo dubitat: ni aliqua fuerit in ſtomacho particularis cacochymia. Norma alia eſt methodi, ex Hipp. 1. Aph. libri primi. *Concocta medicari oportet, non cruda, niſi humores turgeant*: quocirca priùs humores præparandi Medico: deinde purgandi, niſi turgeant. Reliqua ſunt eadem ratione diſponenda, per methodi regulas; quas deſcribemus in fine partis primæ huius operis.

Verùm neque indicationes capere poſſumus, neque proinde methodum inſtituere, citra cognitionem eorum, à

quibus

quibus indicationes potiſſimũ trahuntur: quare de illis primò eſt dicendum. hæc ſunt ex Gal.1.de criſi.& conſtit.art. *Morbi ſpecies, eius cauſa, pars affecta, morbi magnitudo, mos morbi, & motus*; quibus annectere poſſumus tempus morbi.

*De ſpecie morbi dignoſcenda.*

## CAP. II.

A Morbi cognitione, methodi ſtatuendum eſſe principium ſcribit Gal.lib.2.ca.7.metho. qui morbus nullo modo poteſt intelligi, neque curari, niſi ex intellectione affectus, qui ſecundum naturam eſt, ex cap.4.eiuſdem lib. Eius cognitio eſt vtilis ad prædicendũ, & ad curandum: nam multi morbi ſpecie ſua, ſunt exitiales, vt peſtis, apoplexia. Alij ſalutares, vt Ephemera febris. Præterea ex morbi ſpecie aliquando eius cauſa dignoſcitur: vt, Tertiana naſcitur ex bile: Quartana ex ſucco melancholico. Gal. primo cap.lib.2.de criſ. docet, quo pacto quis, vel primo etiam

die,ſpeciem morbi dignoſcat, his verbis. *Morbus aut eſt ſimplex, aut mixtus ex pluribus. Simplices poſſunt cognoſci facilè primo die; habent enim propria indicia, & ſigna. Ille verò qui mixtus eſt, non ab omnibus per initia intelligitur, neque abſurdum eſt, ad duplicis morbi cognitionē, duobus eſſe diebus opus, ſicuti ſi triplex fuerit, tribus. At verò vnam ſimplicem ignorare diſpoſitionē, abſurdum eſt maximè, ac turpe. Oportet ergo ſe ſe exercere in ſimplicibus dignoſcēdis.*

Primum autem pręceptum, quod in hoc exercitio nos manu-ducit, trahitur ex cap. 2. lib. 2. criſ. dum ait, *morbos ſimplices dignoſci ex ſuis cauſis, & ſymptomatis proprijs, aut inſeparabilibus, quæ illos comitari ſolent*. Hoc docet febrium exquiſitarum tertianarum exemplo, & reliquorum ſimpliciū: verùm breuitatis cauſa, cui ſtudemus, vnico & ſingulari erimus contenti exemplo. *Cauſæ*, inquit cap. 3. eiuſdem libri, *generantes tertianā, quæ ex bile pendent, ſunt, æſtas calida ſicca, quæ ſuam naturalem temperiem ſeruat; regio calida ſicca; temperamentum calidum ſiccum: victus calidus ſiccus, qui conſiſtit in*

*labo-*

*laboribus, vigilijs, curis, tristitijs, cibisque paucioribus, & biliosis. Ex his autem nascitur multa bilis*, ex quibus tamen non licet necessariò argumentari ad febrem tertianam: sed tantùm ex bile pendere necessariò, si omnes illæ causæ, aut potiores simul concurrant. Biliosa autem, aut est continua, aut adurens, aut tertiana exquisita. His positis oportet illa distinguere suis symptomatis. Inuasio tertianę ab acutissimis, & ardentissimis nullo modo separatur; differt tamen, quòd in tertiana exquisita bilis feratur per totum corpus, adque idcircò vehemęns fiat rigor, bilisq; superueniat vomitus, vrinæ biliosæ, & sudores. In cõtinuis autem biliosis, & ardentibus humor, vna cum sanguine, in vasis continetur; & idcircò illa non contingunt symptomata. Præterea tertiana ad infebricitationem peruenit. In prima inuasione sunt pulsus parui, & obscuri: qui tamen non longè recedunt à pulsu sanorum. Dum increscit febris, pulsus habent æqualitatem, & liberam celeritatem, quæ statim ad magnitudinem,

atque vehementiam excitatur, ijsq; frequentiam respondentem. Hæc febris sitim inuehit, hominem exurit, paulò post in vigore consistit, calor quaquauersum extenditur. In declinatione excitatur calor vaporosus calid⁹, vt in balneis: tum verò corpus æqualiter sudat, talisque est pulsus, qualis in ijs, qui exercitantur, & balneantur; velox nimirũ, & vehementer magnus, ac freqũẽs; desinitque ad infebricitationem; & vniuersum accessionis tempus, cum longissima est, vltra 12. horas, non extenditur; & 7. circuitibus terminatur, ex Hipp. 59. apho. lib. 4. quæ omnia non reperiuntur in biliosa continua, & ardente. In reliquis simplicibus morbis eadem methodo est progrediendum.

Mixti autem morbi cognoscuntur, ex Simplicium cognitione, vt exemplis multis docet Gal. cap. 7. & 9. lib. 2. de cris. Verùm compositio, aut est humorum, vt in febribus humoralibus commixtis: aut fit ex affectione, & loco affecto. Quocirca, inquit Gal. initio. cap. x. lib. 2. de cris. *Earum febrium quæ ex locis inflam-*

*inflammatis accidunt, iam forma composita est: quadam enim loci indicia pra se ferunt, quadã autem causæ generantis:* vt in pleuritide, locus affectus est membrana costas succingens, quæ cum inflammata est necessariò dolorem parit: quia neruosa est. Et quia illa membrana coniũgitur cum instrumentis respirationis, necessariò æger laborabit difficultate respirationis, & quòd cordi proxima sit, excitabit febrem: sicuti quia pulmoni proxima est, facilè suum illi communicabit affectum; cum præsertim adeo rarum, ac molle sit membrum, vt omnem substantiam humidam facilè possit admittere. Tussiet igitur statim homo. Atque hæc ad partem affectam attinent.

Inflammationis autem naturam significant sputa: nam spumosa pituitosam materiam ostendunt, flaua biliosam, nigra melancholicam, rubicunda sanguineam. Ergo in complicatis affectibus ex affectione, & parte affecta oportet cognitionem ducere ex accidẽtibus, & symptomatis affectæ partis, &

affectus ipsius. Cæterum de cognitione affectuum ita scribit Gal. cap. 1. lib. 2. Secundum locos. *Nec verò affectionem inuenire promptum est, sed hoc exercitato homine indiget, qui tum per rationis exercitiũ, tum per multam & assiduam affectionis ægrorũ inspectionem, eam cognoscat. proprietates enim aliquæ quidem omnino dici non possunt, quædam verò ægrè circa ægrotantia corpora ostendi possunt, vtpote quæ tantùm ijs qui eas sæpe viderunt cognitæ existant.*



*De causa morbi.*

## CAP. III.

Causæ morbi dignotio conducit ad remedij inuentionem: nam causæ contrarium debet parari remedium: tũ ad victus qualitatem designandã; nam victus qualitas causæ morbi debet aduersari. Quærimus autem cognitionem causæ antecedentis morbi, & coniũctæ; hæ namque indicant. Primitiua verò nullam indicationem suggerit. Est tamen Medico signum, ad antecedentes causas,

causas,& coniunctas dignoscendas. Intelligendum itaque est, in causis morborum dignoscendis, nos progredi duplici via, ex causis ad effectus, & ab effectis ad causas. Primitiuæ sunt causæ antecedentium, & coniunctarum in quibusdam. Antecedentes autem aliarum antecedentium,& coniunctarum. Sunt.n.illarum plures gradus: Medico verò sunt signa, quadam consequutione,& ratiocinio, vi illius theorematis: Causæ efficientes, in subiectis aptis, effectus sibi similes pariunt. Insolatus in eo qui biliosis scatet humoribus, capitis dolorem parit,& febrem: in pituitoso non item: ergo ab anni tĕpore ducetur argumentum causæ morbificæ. *Mutationes temporū*, inquit Hipp.3.Aph. lib.3.*pariunt morbos*: qualis namque aër, talis spiritus, & humores in corporibus dispositis. A regione, ab anni tempore, à victus ratione, similia trahentur argumenta, ex quibus non tantùm præsentes cognoscuntur morbi, sed etiam futuri præuidentur in subiectis aptis: vt videre est apud Hipp.3.Aph.

Cau-

Cauſæ antecedentes, ex Auic. lib. 1. fen 2.doct. 2. ſunt, humores, temperamenta, compoſitiones: quare harum ſigna ſunt inueſtiganda. Cognoſcuntur autem potiſſimùm, ex effectis, ex quibus progredimur ad cauſas antecedentes remotas, ab ijs ad immediatas, & coniunctas, eodem artificio quo in ſuperioribus dictum eſt: exemplo ſit, pilorum in hypochondrijs prouentus, latitudo venarum, caloris in corpore incrementum naturale, temperiem calidam ſignificant, præſertim iecoris: ab ea ad bilem inde natam argumentabimur, ab hac ad febrem tertianã, ſi putredo nata ſit extra vaſa.

## *De loco affecto.*

## CAP. IV.

PRo locorum differentia curatio variatur, inquit Gal. cap. 1. lib. 1. loc. affec. Et lib. de inſtr. voc. diſſectione ſcribit, *Locus localiter opitulari nos docet, ne illis particulis, tanquam affecti, fruſtrà moleſtiam*

*lestiam inferamus: néue affectis tanquam sanis opitulemur.* Locorum affectorum cognitio facit etiam ad magnitudinem morbi detegẽdam:nam,vt videbimus, morbi magnitudo cognoscitur,ex partis obsessæ præstantia.

Ex substantia rei excretæ trahitur argumentum partis affectæ: vt bronchium tussi excretum, tracheam arteriam, aut pulmones malè affici demonstrat.

Magnitudo substantiæ excretæ denotat etiam locum affectũ,vt magnum bronchium ostẽdit tracheam arteriam lædi:paruum autem pulmones: vt ramẽtum crassum significat aliquod crassorum intestinorum lædi, ita tenue aliquod tenuium.

Ex his quæ cõtinentur in aliqua parte,aut secundum naturam, vt vrina in vesica,aut præter naturam, vt lapis in renibus, & vesica, locus affectus demonstratur ex suppositione:quia generentur in talibus partibus.

Modus quo res excernitur patefacit locum affectum, vt cum sanguis exit salien-

ſaliendo,ex arteria manare certum eſt: neque tantùm ex modo exitus conijcitur ſanguinis arterialis,ſed ex colore,& conſiſtentia:nam flauior eſt,& tenuior.

Adnata ſignificant etiam locum affectum: vt fungus in capitis vulneribus duræ membranæ læſionem oſtendit.

Ex accidentibus proprijs venimus in cognitionem loci affecti: vt aduncitas vnguium phthiſeos confirmatæ ſignum eſt,proinde pulmonum affectorum.

Læſio actionis locum affectum demonſtrat: nam cum actio corporis à parte, tanquam ab inſtrumento, pendeat,neceſſe eſt actione læſa,inſtrumẽtum,per quod exercebatur, lædi: vt ſi homo non videat, aut deprauatè, aut imminutè,in vitio eſt oculus.

Locus affectus perſpicitur etiam ex ſpecie doloris. Pungẽs dolor ſignificat neruum,aut membranam affici:grauãs viſceris alicuius affectum denotat:pulſatorius,ſiue contundens partis ſenſibilis propè arteriam,læſionem.

Ex ſitu ducitur argumentum partis labo-

laborantis; vt si dolor sentiatur in dextro hypochondrio, probabile est, iecur malè affici, non necessariò tamen: quocirca ex vno horum signorum non licet semper colligere partem affectam; sed oportet multa alia signa congerere ad probationem. Nam licet dolor sit in hypochondrio dextro, vel tumor, non tamen sequitur lædi iecur: quia in illa parte sũt iecur, ren dexter, pars coli intestini, & musculi abdominis.

Diligenter verò distinguendum est, num pars affecta laboret primario affectu: an per consensum: hoc namque maximè facit ad applicationem remedij; vt si vertigo contingat propter affectum ventriculum, non erunt applicãda remedia tantùm cerebro, licet vertigo affectus sit cerebri; sed magis ventriculo. Quocirca primo loco aff. Gal. ridet Medicos, qui applicabant remedia manui, cum principium affectionis ex ceruice penderet. Distinguitur autẽ pars affecta primariò, & per se, ab ea quę fit per consensũ; quòd pars primariò affecta habeat propria signa sui affectus;

fectus; & affectus sit perennis ferè; neque alteri affectui succedit. Quæ autẽ fit per consensum, non habet propria signa; intermissionem patitur; & succedit alteri morbo. Nonnunquam contingit, plures morbos in corpore reperiri, quorum tamen vnus ab alio non pendet, qui diligẽter sunt distinguẽdi.



*De magnitudine morbi.*

## CAP. V.

MOrbi magnitudo cognoscenda est, ad curationem, & ad prædictionem. Ad curandum quidem, quia magnitudo morbi magnitudinem remedij indicat. Nam ex Hipp. 1. aph. 6. *extremis morbis extrema remedia adhibenda sunt.* Ad prædicendum, quia magni morbi periculo non vocant.

Magnitudo morbi duplex est, vna cõparatè spectata, altera simpliciter. Nam morb⁹ mediocris suis symptomatibus, cũ viribus debilibus, magnus dici potest. Simpliciter autem magnus dicitur, cum,

cum, nulla facta comparatione cum viribus, magnus censetur. Dicitur autē magnus ex Gal.4.lib.meth.ca. 6. tribus rationibus: *symptomatum magnitudine; partis obsessæ præstantia, & malignitate, siue chachœthia.* Magnitudo symptomatum consistit in multitudine eorum; vehementia, & duratione: quo enim plura sunt, vehemētiora, & diuturniora symptomata, eo maiora existimātur. Pars præstans duobus modis dicitur: aut ratione vitæ, aut publici officij: vt ventriculus, pulmo, renes, vesica.

At Gal.7.meth.cap.12 scribit *affectus magnitudinē spectari ex læsæ actionis præstantia, ex propria affectus essentia, & ex facultate læsam actionem gubernante;* quæ videntur à superioribus dissentire. Ea tamen posse conciliari mihi videntur, vt dicamus, ex partis obsessæ præstantia, sequi læsam esse actionem præstantem. Præstans enim pars habet actionem nobilē: chachoethia verò semper nocet facultati nostrum corpus gubernanti. Symptomata magna ostendunt magnam affectus essentiam, ex recessu

ab ſtatu naturali: nam propria eſſentia affectus, cum ſit præter naturam, eſt receſſus à naturali ſtatu. Conſentiunt ergo magnitudo ſymptomatum, & propria affectus eſſentia.

Omnia verò ſigna ſpecifica ſiue pathognomonica propria, & inſeparabilia, omnia item epigenomena, ſiue propria, ſiue communia, poſſunt magnitudinem ſignificare. Omnia etiam maligna magnitudinē oſtendunt. Omnis namque morbus malignus eſt magnus: non contra.

Cognoſcitur præterea morbi magnitudo ex cauſæ magnitudine, quæ magna dicitur mole, & copia, aut qualitate maligna.

Cognoſcitur ſæpe ex indiſpoſitione ſubiecti ad recipiendam cauſæ efficiētis actionem: quo. n. ſubiectum minùs eſt diſpoſitum, ad cauſæ efficientis vim recipiendam; eo cū receperit, maiorem cauſam adeſſe neceſſe eſt: & cōtra, quo maior eſt diſpoſitio, eo minorem. Quocirca ſcribit Hipp. Aph. 34. lib. 2. *Minùs perniciosè laborāt hi, quorum temperatura,*

*vel*

*vel ætati, vel consuetudini, vel tempori, familiaris est morbus, quàm quibus horum nulli affinis.*



## *De more morbi.*

## CAP. VI.

MOs attribuitur morbis impropriè: in hominibus autem, quibus propriè accommodatur, est procliuitas ad agendum comparata. Is, ratione finis, bonus, aut malus dicitur. In morbis similitudine quadam appellatur bonus, vel malignus, ducta ab hominibus malignis similitudine, qui specie recti decipiunt. Apparent enim boni: re vera autem mali sunt. Quare Gal. lib. de definit. med. scribit, *Malignus est morbus, qui facultate magnus est, difficilisq; : specie tamen apparet perexiguus; nec statuta ad iudicandum habet tempora.*

Maligni morbi sunt aut specie tota, aut symptomatibus quibusdam. Specie pestis est maligna. Pleuritis, si quando maligna dicatur, talis est symptomati-

bus; quòd ſcilicet maligniora habeat ſymptomata, quã morbi ſpecies ferat: & clam ob malignitatem labefactẽtur facultates noſtri corporis.

Mos morbi cognoſcendus eſt,ad curationem,& ad prædictionẽ: nam maligni morbi alexiterijs ſunt oppugnandi:tum maligni morbi pleni ſunt periculo,quod eſt prædicendum. Cognoſcitur autem ex ſymptomatis epigenomenis ſupernaſcentibus, & ex propria morbi ſpecie: vt à Galeno ſcribitur, cap. 3. libri 1. & cap. 4. libri 3. criſeon. Quapropter non ſemper mos in morbis principio cognoſci poteſt: niſi ſpecie tota ſit malignus,qui plurimùm in principio malignitatis ſuę edit indicia. Maligna vero ſymptomata appellantur, quæ perniciem præcipuis noſtri corporis facultatibus afferunt,quę maximè elucent in peſtiferis morbis. Et quia critica ſymptomata nonnũquam mentiuntur ſigna malignitatis, ne decipiantur Medici,ita diſtinguenda sũt: nam omnia quæ maligna apparent ante ſigna coctionis edita, morbi praui

ratione

ratione fiunt:at post coctionẽ,pendent à conflictu naturæ,& morbi: nihilque maligni habent,præter speciem, & apparentiam.


*De motu morbi.*

CAP. VII.

MOtus morbi cognitus facit ad prædicendum: nam celeres morbi citò finiuntur: tardi, tardè: tum ad victus rationem:quia,vt scribit Gal. ca. 3.lib.1.cris.*generosi Medici,atque arte Hyppocratica digni officium est,futurum statum præcognoscere:cum omnem victus rationem, ad ipsum aspiciendo,decernat.* Adde quòd in acutis morbis non est eadem victus ratio præscribenda,quæ in longis.Prodest etiam ad tempus medicationis,nã ex Hipp.Aph.10.lib.4.*Medicari in valde acutis eadem die oportet,si materia turgeat: tardare enim in talibus,malum*: in longis autem morbis expectanda materiæ coctio.

Cognitio verò motus morbi pendet ex

 cogni-



cognitione symptomatum subitò, aut tardè nascentium. Morbus enim, qui parit symptomata magna subitò, celer est: qui verò tardè, longus.

A causa morbi dignoscitur motus morbi: nam biliosi morbi, vt plurimùm celeres existunt: pituitosi & melancholici, tardi & longi.

Præterea ab accessionum temporibus, & à temporibus morbi ipsius: nam principium breue, aut tardum, reliquorum temporum breuitatem, celeritatẽ, aut tarditatem ostendit.

Quartò ex signis coctionis & cruditatis: nam coctiones, ex Hyppocrate, li. 1. epidem. const. 2. *celeritatem criseos demonstrant*: vt cruditates lõgè post morbi principium apparentes, tarditatem.

Natura partis affectę motum declarat affectionis: nam in osse, & partibus duris lõgi, in carne breuiores procreãtur morbi.

Ex quantitate excretorum, & modo: nam in quibus pauca, & paulatim excernuntur, in his tarditas est expectãda: cũ verò multa, & confestim, celeritas.

A viri-

A viribus etiam comparatis cum materiæ quantitate: nam robustæ vires cum pauca materia, celerem fore ostẽdunt morbum: debiles cum multa, longum, & tardum.

## *De morborum temporibus cognoscendis.*

## CAP. VIII.

IN primis, intelligere oportet nomen principij apud Medicos æquiuocum esse: nonnunquam enim capitur pro primo morbi insultu: aliquando pro primis 4 diebus, in morbis qui progrediuntur vlterius. Propriè, & medico more, sumitur pro eo tempore omni, in quo materia morbifica cruda est. Hoc posito, inquit Gal. cap. 4. lib. 1. criseon. *adnimaduertendum est, principij cuiusque morbi non esse eandem latitudinem: nam ut morbi alij alijs sũt diuturniores, ita & principia alia alijs sunt longiora.* Dignocitur autem ex morbi specie: nam morbus comitialis, articularis, coxendicum, &

renum passiones sunt longi temporis.

Ex anni temporibus, hoc modo, *æstate quartanæ magna ex parte breues: autũnales longæ, & præsertim quæ ad hyemem attingunt.* Quare principium æstate in quartana febre breuius, hyeme verò longius: & in alijs temporibus similem seruabit proportionem. Ex circuituum incremento: oportet enim accessiones inuicem conferre, si citiùs fiant, vel nõ: nam si hæc omnia coniunxeris ad exquisitam dignotionem propriùs accedes. Verum principia dignoscũtur propriè ex cruditatibus: nam quandiu sũt cruda excrementa, morbus est in principio: quod probatur ex Aph. 22. lib. 1. *Concocta medicari, & mouere oportet non cruda: neque in principijs, nisi turgeant.* Tũ de vict.ra.in mor.acu. Hippocrat. scribit, Cruda non esse mouenda, talia autem sunt in principio morbi. Perfecti autem principij manifestum, & firmũ signum est concoctio incipiens manifesta.

Quæritur autem num in morborum principio apparere possint signa concoctionis?

ctionis? Gal.cap.3.lib.2.de crisib.scribit, Inter omnes tertianas, ea simplissima est, quæ cum omnia exquisitæ tertianæ signa habuerit, in vrinis etiam subsidētiam albam, leuem, & æqualem, statim primo die habuerit. Huic loco fauet Hipp.in prog. *vrina optima est, si candidum fuerit eius sedimentum, leue, & æquale per omne tempus, donec morbus iudicetur.* Verùm Gal. eodem lib. & primo, sæpe scribit, etiam in principio morborum, omnia esse cruda. Cardan. in cōtr. respondet, morbos quosdam ita esse breues, vt illico ad statum perueniant: & sic coctionis signa nō initio morbi, sed statim tamen apparebunt: quia morbus non excedit secundam accessionem: quare fit, vt tertiana aliqua sit, quæ vrinas initio statim habeat coctas. Principium itaque si pro prima die capiatur, coctionis signa admittit, tum etiam tēpore quolibet breui. Si autem pro initio morbi, nequaquam. Nos breuiùs possumus respondere & distinctiùs, principiū ibi sumi pro primo insultu morbi, non pro tempore cruditatis, quòd

nullum est in talibus febribus, ob viriũ robur, & materiæ benignitatem : quocirca intra viginti quatuor horas, poterunt apparere signa aliqua coctionis, etiam in tertiana exquisitissima, quę, vt inquit Gal. ibidem, ad tertium vsque circuitũ durat. Ad Hipp. verò, cùm inquit, *vrina optima est si candidum fuerit sedimentum, leue & æquale per omne tempus à quo incipit*, subintelligẽdum, vsque ad statum. In morbis etiam, qui nõ pẽdent ex putredine, nihil vetat apparere signa coctionis in initio, vt in Ephemera: nihil enim de nouo coquendum est. In acutis autem continuis nulla potest esse materiæ morbificæ coctio in principio perfecta, & optima. Perfectam dicimus, quia in coac. cap. de vrin. Vrina aliquando de repẽtè cocta est, quę mala iudicatur; non est enim perfecta, neque laudabilis talis coctio ; quia nec totius materiæ morbificæ est, sed aut partis alimenti, aut partis morbificæ materiæ, eiusque exiguæ. An verò sit diu principium duraturũ necne oportet conijcere ex natura morbi. Nã quidam

dam morbi ſunt ſua natura breues vt tertiana ſimplex,& exquiſita: alij longi, vt quartana, præſertim ſi hyemem attigerit. Ex anni tēpore,nam calidiore breuiores, frigidiore generantur longiores vt plurimū.Ex ætate laborantis. nam in iuuenibus fiūt vt plurimū breues:in ſenibus longi.Ex regione ſimiliter,ex victus ratione, ex temperamēto, ex ſignis coctionis neceſſariò: oportet enim conſiderare quantùm diſtēt præſentia cruditātis ſigna ab alijs, quæ indicant manifeſtam coctionem,& qualiſnam ſit motus morbi. Nā ſi ſit velox ſiquidem integra cruditatis ſigna in primis quatuor diebus permaneāt,longum erit morbi illius principium: ſi verò cruditas mediocriter in ipſo apparuerit,longum quidem hoc erit ſed nō æquè ac primum. Si autem parua fuerint cruditatis ſigna, breue principium erit. Ex 1.lib.de criſib.cap. 19. Ex principij duratione conijcitur duratio incrementi & ſtatus.

Incrementum autem cognoſcitur non tantùm ex anticipatione acceſſionum

num in febribus, ſed etiam ex earum longitudine, tum ex magnitudine, & more: nam malignitas vt plurimùm in incremẽto elucеſcit. Anticipatio enim ſola non eſt ſufficiens ſignum incremẽti, quòd ſæpe morbi proprietatem ſequatur potiùs, quàm eius incremẽtum. cum & quartani (inquit Gal. cap. 3. lib. 1. de criſib. & tertiani quidam paroxiſmi vſque ad integram ſolutionem anticipare viſi fuerint. Verùm in his acceſſionibus pluſquam oportet, & proportio exigit, anticipare vel ſubſequi, incrementi indicium eſt.

Status autem cognoſcitur ex acceſſionum æqualitate, & ſymptomatum paritate.

In declinatione acceſſiones breuiores efficiuntur, & ſymptomata decreſcunt. Scribit enim Hipp. Aph. 30. lib. 2. *in principio, & fine morborum, omnia ſunt mitiora, in ſtatu autem deteriora.*

L I-



# LIBER SECVNDVS.

## *DE NECESSITATE, DEFINITIONE, diuisione, vtilitate, possibilitate, & impossibilitate prædictionis.*

### CAPVT. I.

MEdici officium eſt, non tantùm morbos curare: verùm etiã futuros in morbis euentus prædicere. Operæ precium ergo duximus, quædam de Prognoſci enarrare. Nam ex mortis ineuitabilis præſagio iudicamus manus ægro non eſſe admouẽdas. Verùm ſi aliqua ſalutis ſpes eluceat, indicationem ſumimus iuuãdi naturam accõmodatis remedijs. Quod expreſſit Hipp. in principio pognoſticorum, cum inquit, *Curationes autem optimè molietur Medicus præuidens futura, ex præſẽtibus affectionibus*. Præterea ex Gal. 3. lib. methodi. capite 1. *Primum artis opus eſt, vt*

*vt intelligas sperarène id quò tēdis debeas, an secus. Eius rei duplex est cognitio,* inquit, *nec potest addi tertia. Altera per experientiam, cui longo vsu est opus. Altera per ipsius rei naturam: à quibus procedens, non solùm quod sanari non potest præuidebis, sed etiam quod potest recipere sanitatem, atque de inueniendis remedijs cogitabis.*

Prædictio est, doctrina siue Medicinæ significatiuæ pars, qua futuros morbos, & illorum euētus prædicimus per signa. Præuidentur autem morbus, salus, mors, crises, symptomata, morborū translationes, & alia multa. Prædictio triplex institui potest: vna generalis, altera specialis; tertia particularis. Hoc loco generalem meditamur ex Hipp. & Gal. Specialis explicabitur in specialibus exercitationibus. Particularis autē, ad exercitationes particulares pertinet, quas vulgò concilia appellant.

Prædictio Medico partim est possibilis, partim impossibilis; difficilis semper, & vtilis. Possibilis est, perito Medico, qui frequenter imò cōtinuè libros, qui ad artem prędicēdi spectant, euoluit;

uit; ægrosque frequenter inuisit, summa cum diligentia obseruans, quæ circa illos contingunt. Præterea, qui memoria tenet signa totius historiæ morbi; atq; illa aptè conferre nouit. Ex quibus simul collatis, iudicio perspicaci, quòd futurum est prædicere potest. Oportet insuper, vt humor, qui est causa morbi, sit fixus. Nam humores inquieti, & mutabiles, Medici iudicium peruertunt, & incertum efficiunt. Hęc demonstrando possibilitatem, prædictionis quoque difficultatem ostendunt. Quod impulit Hippocratem Apho. 19. lib. 2. vt pronunciaret: *Acutorum morborum non omnino sunt certæ prædictiones salutis, & mortis*, ob materiæ feritatem, & varietatem: feritas aliquando latet, varietas Medicos decipit. Decursu enim morbi, quidam mouētur humores, qui antea latitabant. Motus inordinati aliquando fiunt ad partes nobiles inopinatò.

Incertitudinem etiam prognosis declarat; quòd multi absque signis coctionis, morbo liberantur. Gal. lib. de

præ-

prȩcognit.ex pul.historiam adolescentis recenset,qui cum crudis vrinis morbo liberatus fuit.Et in Epid.lib.1. Meto cum signis lætalib.sanguinis profluuio, sanitati fuit restitutus.Infinita exempla similia conspiciuntur à Medicis practicis. Propterea ratione difficultatis, cautè,& sapiēter est prædicendum,obseruandumque, quod pulchrè à Gal. describitur,lib.1.de dieb.decret.*Contingunt*,inquit,*quædam peccata ab ægris,quædam à Medicis:alia ab adstantibus,& rebus externis. Quocirca nos meritò, cum quispiā de aliquo ægro euentum iubet prædicere,cum distinctione id facimus,& dicimus:Hic morbus soluetur tali die,si æger victus ratione à nobis constituta,non ab alio Medico regatur. Deinde si nihil ipse peccet,& faciat quæ imperantur omnia.Postremò, si nihil magni erroris extrinsecus commissum fuerit: vt ædiū combustio,timor,aut aliquid aliud.*

Humorum miscella difficultatem in prædicendo parit. Vnicum enim humorem peccare ferè impossibile est.Iis namque mixtis in vna massa fieri vix potest,vt vnus affectus non trahat alios

in

inconſortium labis. Adde quòd proportio eſt diuerſa,non tantùm quantitate:multa enim pituita exiguę bili permiſſeri poteſt, ſed etiam propter mixtionis modum;quoniam aliquãdo perfectiùs, aut imperfectiùs miſcentur. Et cum varij peccent humores, calor naturalis varios producit effectus diuerſo tempore.Quis ergo in tali miſcella, & diuerſitate, poterit prædicere criſim, aut diem illius,cùm diuerſa ſit humorũ inclinatio ad excretionem, & diuersũ coctionis tempus.

Adde quòd materia aliquãdo in varijs locis ſtabuletur,tũc per varias partes fiet excretio. Præterea ſi quid certitudinis ſit in ſalute prædicenda, id haberi debet ex coctionis ſignis. Coctiones enim ex Hipp.lib.1.epidem.ſecuritatem iudicij ſignificant: tamen nonnunquam apparẽtibus coctionis ſignis, nihil certi prædici poteſt.Nam licet coctio appareat perfecta,forſan concocta non poterũt expelli: quòd vię per quas excretio fieri debet non pateant, nec commodę ſint. Portione quadam ma-

teriæ cocta, alia cruda adhuc remanet: at expulſioni,& coctioni natura eodem tempore par eſſe non poteſt.

Tempora etiam non ſeruantia ſuam tempeſtiuitatem incertam prognoſim reddunt. Ex Aph. 8. lib. 3. producunt enim varios morbos, inquit Hipp. & difficillimi iudicij. Prognoſis ergo multis nominibus incerta, & difficilis cenſeri debet.

Aliquorum verò eſt omnino impoſſibilis, vt fortuitorum, quòd ea tantùm præuideri poſſunt, quæ à morbo, & à natura pendent, quæ fortuita non ſunt.

Prædictio cum poſſibilis eſt, ſemper vtilis Medico cenſetur, multis de cauſis, ex Hipp. in principio prog. cum ſcribit, *Nam prædicens coram ægris præſentia, præterita, & futura, ægrotantes ſibi perſuadebunt, Medicum eorum morbos cognoſcere: quam ob cauſam, ſeſe vltrò eius manibus committent. Tum quia ex præſentibus præuidens futura, meliùs curabit ægros. Adde quòd ſi quid ſit diuinum in morbis, prædicēs admirabilis habebitur. Poſtremò prædicens mortem futuram, omni crimine vacabit.* Ea

his

his ergo omnibus facilè colligitur, aliquando possibilem esse prædictionem, semper tamen vtilem,& difficilē. Quare non est temerè effandum, ne ars nobilis, néue artifices infamentur: quantū enim existimationis, & laudis parit prædictio certa; tantùm incerta, & falsa vituperij comparat. Quanto namque excellentior est ars, tanto maiorē ignominiam ignaris artificibus conciliat. Hipp. lib. prædictorū scribit, Qui prædictionis successum cōsecutus est apud prudentem ægrum admirationi erit, qui verò errauerit, præterquam quod odio grauabitur, is infamiam effugere non potest. Cum autem prædictio sit, aut futurorum morborum, aut eorum, quæ contingunt in morbis, morborum prædictio duplex est: vna vniuersalis, quatenus conijcimus ex causis generalibus, qui morbi sint futuri, in vnoquoque anno secundum eius constitutionem: & in locis diuersis, secundum eorum dispositionem: aut particularis in vnoquoque homine. Nos primo loco agemus de prędictione vniuersali mor-

borum ex Hipp. libro 3. Aphorif.



*Prædictio futurorum morborum in genere, ducta ex temporum anni constitutione.*

## CAP. II.

PRædictio futurorum morborum in genere deducitur ex caufis procatarcticis, ventis, pluuijs, anni tempeftatum difpofitionibus, quarum regulæ, & apho. defcribuntur lib. 3. Aph. & lib. de aër. aquis & loc. Inter quas prima, & præcipua hæc habenda eft. Si ad vim caufæ efficientis accedat fubiecti preparatio, effectus facilè inde fequetur: atque ideo Gal. initio com. in librum de Morbis vulgaribus fcribit. *Morbi pro ratione vniufcuiufque tempeftatis fiunt, fimilitudinem habētes cum natura fucci exuberantis. In quo nimirum confiftit præparatio morbi futuri, vi tempeftatis*: vt autem faciliùs id exequatur Medicus, quotidianas debet per aduerfaria obferuare temporum cōftitutiones. Deinde exa-

ctè perpendere quænam diſpoſitio vicerit:num fuerit magis Auſtrina,quàm Aquilonia; atque ex eo quod ſuperauerit,in patiente apto,prædicet futuros morbos.Inquit enim Hipp.ad finem v. Aph.lib.3.*quando hæc tempeſtas præualuerit, talia in morbis expectare oportet.* & aph.7.ſi annus magna ex parte talis eſſe pergat, tales ferè morbos expectare oportet:Hipp.1.aphoriſmo lib.3. generalem propoſitionem quæ vim cauſæ efficientis continet, cæteriſque fundamento futuram deſcribit. *Mutationes temporum potiſsimùm pariunt morbos,& in ipſis temporibus magnæ mutationes,aut frigoris,aut caloris, cæterorumq; ad proportionem his reſpondētium.*Quod ſcilicet magna vis ſit in aere, immutandi corporis habitum,humores,& ſpiritus;qualis namque aër,talis ſpiritus, & humores. Quare morbi naſcentur in corporibus, ſecundum diuerſam aëris diſpoſitionē, quæ pendet ex anni temporum conſtitutione.Atque vt Hipp.ſignificaret,tēpeſtates non poſſe ſuos effectus producere in omni corpore,verùm in patien-

te diſpoſitionem requiri, ad vim cauſæ efficientis recipiendam. ſecundo Aph. eiuſdem lib.2.ſcribit. *Naturarum quadã ad æſtatem, alia ad hyemen bene, vel malè ſe habent*: nempe in quibus eſt præparatio ad cauſarum efficientium vim recipiendam: nam ſi præparatio non adſit, non recipiunt: vt bilioſus æſtate facilè febrit: pituitoſus verò difficilè: præparatio verò accidit ſubiecto à loco in quo homines degunt, ab ætate, à temperamento, vitæ inſtituto & victus ratione ex Gale. comment. in 1. lib. epide. ſent. 1.

His poſitis principijs, ſequuntur cõcluſiones, aph.4. *In temporibus cum eodem die modò calor, modò frigus viget: autumnales morbos expectare oportet*: non tempore anni, ſed ſpecie, & more. Specie quidẽ, vt quartana febris, & erratica. More autem maligni, & acutiſſimi, pernicioſi, & iudicatu difficiles. Nam ex 9. Aph. lib.3. *Autumno vt plurimùm morbi acutiſſimi, & pernicioſiſſimi*, propter varietatem humorum prauorum in corpore dominantium.

Quando

*Quando æstas est veri similis, sudores in febribus copiosos expectare oportet*, aph. 6. Causa siquidem vniuoca, similes sibi producit effectus: ver autem est calidũ, & humidum. Si æstas fuerit calida, & humida multæ humiditates in corpore procreabuntur tenues, ob calorem adiunctum, ex quo sequitur sudores in febribus futuros. Nam sudores ob humorum tenuium copiam pręsertim gignuntur:

*Magnis siccitatibus febres acutæ fiunt: quòd si annus magna ex parte talis fuerit, qualem temporis statum fecerit, tales ferè morbos expectare oportet*, aph. 7. Fiunt autem acutæ febres præsertim in biliosis. Speciali autem propositioni adiunxit generalem, ad demonstrandum: qualis enim fuerit constitutio anni, tales morbos expectare oportet; quòd scilicet causa sibi similes producat effectus, in subiectis dispositis. Cum ergò extiterit sicca dispositio anni, siccos gignet humores, & calidos: ex quibus febres acutæ solent nasci.

*Certis temporibus, & suam tempestiui-*

*tatem seruantibus, certi, & tempestiui morbi fiunt, id est, non maligni: incertis autem, & alienis, incertæ quoque ægrotationes fiunt, & ad iudicandum difficiles*: ob diuersitatem humorum apho. 8. Pertinet hic Aph. ad crisim prædicēdam, & innititur generali axiomati iam dicto. Quocirca Medicus in tempestatibus inconstantibus, certam non debet constituere prognosim.

*Autumno in vniuersum morbi acutissimi, & perniciosissimi, ver autem saluberrimum, & minimè exitiosum*, aph. 9. Pertinet hic Aph. ad prædictionem hoc pacto, cum Autumno morbi sint accutissimi, & perniciosissimi: quòd dissipatio magna caloris innati facta sit, ab æstiuo calore externo præcedente: tum quòd duplex cacochymia fuerit collecta, bilis retorridæ, ab æstiuo incēdio: & cruditatis, ob dietæ vitium, nempe fructuū horariorum comestorum copiam. Accedit motus prauorum humorum intrò, ob Autumni frigus, & pororū clausionem. His adiungenda est inæqualitas tempestatis, ex quibus maligni nascuntur

cuntur morbi: quocirca ex illis prædicemus periculum,& mortem: pertinebitque hic Aph. ad prædictionem; & propterea Medicus in illa tempestate, dubiam instituet prognosim,atque potiùs in malam, quàm in bonam partem. Vere autem ob contrarias rationes,contrà.

Autumnus tabidis malus,aph.10.ob intemperiem siccam, morbo fauētem, ob humorum prauorum intrò retractionē. Praui autem sūt à cacochymia duplici,superiùs descripta;tum propter distillationem è capite in partes inferiores. Autumnus namque distillationibus est oportunus, quòd frigiditate comprimat cerebrum,& comprimendo exprimat humores in pulmones; vnde recrudescit vlcus pulmonum,augeturque damnis ægrotus;quocirca tabidis malus est.

*Inter anni tempora, si hyems iusto siccior & Aquilonia fuerit; ver autem pluuium,& Austrinum, febres acutas fieri æstate est necesse,& lippitudines,& difficultates intestinorum, præsertim mulieribus, & viris na-*

*tura humidioribus*,aph. 11. Hæc poſtrema pars Aph: confirmat ea, quæ diximus de neceſſitate præparationis ſubiecti; ad recipiendam vim cauſæ efficientis. Cæterùm hyems ſicca, & frigida aluos aſtringit: vnde fit ſuppreſſio excrementorum,præſertim in humidis naturis, ver autem calidum, & humidum ſuccedens hyemi, putredinis materiam parat:quæ cum excrementis retentis mixta, febres acutas poteſt producere,æſtate præſertim futura: quod ſcilicet calore æſtatis accendantur humores, & commoueantur. Lippitudines autem fiunt à pituita ſalſa in oculos prolabēte, è cerebro,in quo pituita facta eſt ſalſa:aut à putredine, aut commiſtione cum bilioſo humore; diſſenteriæ verò ab eadē pituita ſalſa corrodente inteſtina;atque eo modo excitante dyſenteriam.

*Si verò hyems auſtrina admodum, & pluuioſa fuerit:ver autem ſiccum, & Aquilonium, mulieres quibus partus vere imminet,ex quacunque occaſione abortiunt: aut ſi pariunt,imbecilles,& morboſos edent: ita vt*

*ipſi*

*ipsi statim intereant, vel tenues, & valetudinarij viuant. Cæteris verò dysenteriæ, & ophthalmiæ siccæ fiunt, senioribus autem Catarrhi breui tempore perniciem allaturi.* aph.12. Nam matre, & fœtu debilibus; à tempestate Austrina, quæ vires corporis eneruat, ex Hipp.5. Apho. libro. 3. Accedit frigidum insuetum vernæ tẽpestatis, quod facilè penetrat ad intima vsque corporis, & ad fœtum: propter raritatem corporis Austrina constitutione contractam. Præterea Austro flante, magna copia pituitæ collecta est: quæ imbibita tunicis, ligamentisq; vteri, ea laxat, & dissoluit vt non facilè retineatur fœtus, vere superueniente. Debilitas fœtus editi, & valetudo easdem causas agnoscunt: dysenterię à salsa pituita in corpore congesta. Lippitudines ab eadem causa pendent. Catarrhi senibus sũt funesti; nam ex apho. 40. lib. 2 distillationes, & grauedines, in valde senibus, coctionem non admittunt: propter debilitatem caloris: tum quia si pituita salsa profluxerit in pulmones, citò interimuntur ægri: propter par-

partium respirationi dicatarum in illis debilitatem.

*Aestate verò sicca, & Aquilonia, & Autumno pluuioso admodum, & Austrino, vehementes capitis dolores, & tusses, & raucitates, atque grauedines, nonnullis etiam tabes expectandæ.* aph.13. Cephalalgiæ contingunt copia materiæ austrina constitutione collectæ, quæ cerebrum distendit. Tusses, & raucedines fiunt expressione humoris, à cerebro in partes inferiores. Tabes verò illis qui ad phthisim proni sunt, nempe qui sunt collo oblõgo, stricto pectore; quibus humeri in modum alarum prominent qui πτερυγώδεις appellantur.

*Aquilonio verò, & sicco Autumno, hominibus natura humidis commoditas parabitur, alijs ophthalmiæ siccæ, & febres partim acutæ, partim longæ quosdam etiam melancholiæ malè habebunt.* aph.14. quia intemperatæ naturæ modico gaudent vsu contrariorum, ac similem intemperiem grauiùs ferunt, quàm temperatæ naturæ cõtrariam. Cæteris autem Calidis, & siccis naturis, lippitudines aderunt,

runt, denegato exitu biliofo humori, quod craſſus ſit, & membrana à ſiccitate,& frigiditate déſata. Acutæ febres fiunt,quia bilis pars humidiſſima, atq; aquoſa exſiccatur, craſſiſſima relinquitur,& acrior fit.Longæ contingunt febres, à melancholico ſucco, aut à bile craſſiore facta, & mutata in atram bilem per aduſtionem,à qua etiam melancholia morbus producitur.

*Ex tempeſtatibus anni in vniuerſum ſiccitates imbribus aſſiduis ſunt ſalubriores,& minùs lethales.*aph. 15. Salubres ſunt ſiccitates excrementorum priuatione,aut ſaltem imminutione, nec non putredinis, perſpirationis largitate. Siccitates autem intelligimus moderatas; quia omne nimium naturæ inimicum eſt; ex Hipp.in Aph.51.lib.2. Imbrium verò copia inſalubris cenſetur ex contrarijs cauſis.

*Tamen per imbres non fiunt omnia morborum genera, neque ſiccitates ſuis carent morbis.* Quos adſcripſit Hipp. dum inquit aph. 16. *morbi per aſſiduos imbres magna ex parte fiunt,febres longæ,alui flu-*

*xus,*

*xus, putredines, comitiales morbi, apoplexiæ, & anginæ. Per siccitates autem, morbi tabifici, ophthalmiæ, articulorum dolores, stillicidia vrinæ, & dysenteriæ:* quorum omniũ demõstratio ex superioribus facilis est.



*De prædictione in ægrotis, sumpta ex comparatione naturæ, & morbi.*

## CAP. III.

IN hac prædictione duplex potest obseruari progressus; vnus à conclusione ad principia: alter à principijs ad cõclusionem. Hipp. conclusiones descripsit, connectens signa cum euentis. In illo enim Aph. prognost. *nares acutæ, collapsa tempora* &c. signa sunt, nares acutæ, oculi concaui, collapsa tempora: euentus autem, lethale, consequẽs caussam horum signorum. In demonstratione probatur euentus de signis per causam. Facies enim Hippocratica est lethalis, quia est effectus extincti caloris natiui, vel significat illa facies caloris natiui extinctionem, quę lethalis est.

Alter

Alter progressus est à principijs ad cõclusiones,in quo euitatur repetitio inutilis principiorum , reuocando multas cõclusiones ad vnum commune principium,quo probari possunt. Hac progredi via nobis est institutum. Quam ob causam in limine huius explicationis , quædam axiomata præmittemus, ad probandas futuras conclusiones.

Tota ratio huius prædictionis , authore Gal.3.progn. consistit in comparatione naturæ,& morbi. Eam comparationem luculenter descripsit.libro de const.art.inquiens, *Aduertat autem Medicus ceu sibi mutuò contrarijs,nempe morbo, & naturæ : primò namque ex fortioris cognitione, vel seruatum iri,vel perditum hominem præuidebit : deinde alterius excessus certum tempus designabit : nec mirari oportet, si vtriusque viribus perspectis,id est naturæ,& morbi,victorem deprehendas. Vidimus enim gymnastas , ex primis luctantium insultibus , non solùm vter sit superaturus prædicere , verùm etiam præter victoriam, sæpe quòd & aduersarium celerrimè sit prostaturus:itaque Medicus tum sanitatem, tũ mortem*

*mortem præsagiet. Idque non ex alijs quibusdam exercitationibus, sed acurata roboris morbi, & naturæ cognitione. Cæterùm ex his ipsis etiam, alterius terminos reperies. Quippe citò morbus, si facultas fuerit robusta, soluetur: si autem imbecillis illa, morbus autem validior, mors accelerabitur. Verùm excessus magnitudo tempus termini indicabit. Hos ergo scopus animaduertens Medicus de exitu poterit prædicere.* Quocirca robur naturæ, ex proprijs facultum functionibus cognoscendum est; & præcipuè ex ea, quæ pulsum edit: quoniam eius opifex vitalis facultas existit. Magnitudo autem morbi apparet ex ipsis symptomatis præcipuè. Naturæ ergo supra morbum victoria salutem pollicetur: morbi autem supra naturam, periculum, aut mortem. Naturæ verò nomine intelligimus complexum facultatum omnium, corpus nostrũ gubernantium: quæ quò plures in vitio sunt, eo res ægri peiore sunt loco; quo verò pauciores, meliori. Damna vitalis facultatis magis exitialia cẽsentur, quàm reliquarum: secundum illa numerãtur,

quæ

quæ ad naturalem facultatem spectāt. Animalis facultatis vitia postremum locum obtinent ad vitæ necessitatem; nisi quòd motu deperdito, respiratio aboletur, cuius vsu, nc momento quidem tẽporis, vita nostra carere potest.

Omnium verò facultatum tanta est,& tam arcta connexio,vt vna extincta,cæteræ pereant.

In damnis verò, facultatum gradus sunt varij obseruandi.Nam quo ea,quę sunt in nostro corpore,aut ab eo excluduntur, longiùs à naturali statu recedunt, eo maiorem perniciem denotāt: quo verò minùs,minorem. Atque quoties ad calamitosam vim morbi accedit naturæ,& facultatũ infirmitas,tunc in angusto spes est. Quę contra vitia facultatum remedio sũt,bona existimari debent; *vt somnus delirium sedans, bonus censetur*.ex apho.2.li 2.

Neque temerè ex vno, aut altero signo est prædicendum,ex Gal.comm.1. in primum prorhe. cum oporteat ad bene præsagiendum,omnia bona signa cum malis conferre; eorumq; vires di-

ligenter perpendere. Malorum siquidẽ maior est vis,& efficacia ad perniciem: quam bonorum ad salutem.Nam vt æger euadat, omnes facultates vtcunq; integras esse oportet:vnius tamen læsio insignis,non rarò satis est ad interficiẽdum ægrum.Præterea Gal.li. 1. de Cris. cap. 13. scribit, *Nullum signum ita fidele est, vt perfectè ostendat singula ex futuris temporibus. Concursus autem, quos syndromas appellant,qui experientia sola iudicari possunt,infiniti sunt. Quocirca*,inquit, *neq; quisquam eos obseruare,neq; memoria tenere potest.* Idcirco necessarium est, signi cuiusq; naturam ad amussim contemplari: si quis velit optimè præcognoscere. Neque enim quæ plura sunt, illa omnino paucioribus sunt potentiora. Quod intellexit Hip.3.progn.prognost. 9.cum inquit,*Signa adiscentem,omnia iudicare; vires eorum inuicem comparando.* Quare quô Hipp. distingueret vim signorum, scribit perniciosum, graue, grauius,magis graue; sic prauum, prauius,prauissimum:mortiferũ & malum simpliciter.

Sim-

Sunt ergo signorum multi gradus. Pluris enim esse debet vnum prauum signum morbi alicuius, aut partis affectæ proprium, quàm plura bona communia; vt in pleuritide, si facultates omnes benè habeant: tamen expurgatio non est bonæ materiæ, sed putris, & fœdi odoris, pleuritis illa salutaris non est censenda. Deinde, inquit Gal. ibidē. *considerandæ sunt, quænam semper mala: & quæ perpetuò bona, & quæ natura in totius morbi temporibus permutentur. Cum aliquando bona fiant, aliquando mala: & non nunquam fida, alias verò infida.* De quib⁹ ita scribit com. in lib. 3. prog. *Sola illa signa simul, & iudicia certa nominantur, ex quibus licet certò conijcere aliquid de salute, & interitu ægri. Quæ comprehendens vno capite, dicet aliquis, esse signa virium nostrū corpus gubernātium: quo pacto robore valeant, aut deficiant, in quibus scilicet cruditatis, & coctionis signa continentur. Ex accidentibus autem decretorijs, nullam talem habet naturam: sed indicant fore iudicationem, siue crisin, aut per excretionem, aut per abscessum. Sed vtrum bona crisis futura sit,*

*an mala: per hæc signa nequaquam colligere licet.*

Ex quibus promptum est elicere, apud Hipp. alia esse signa necessaria, alia incerta, & varia. Critica signa incerta sunt, ad salutem prædicēdam, aut mortem. Futurorum ergo prædictio tantò certior erit, quantò plura fuerint, quæ vel mortem, vel salutem pollicentur. Bonis signis nec malis acquiescēdum, sine ratione apparentibus. *Quæ enim quiescunt, sine causa*, ex Hippo. apho. 27. lib. 2. *fida non sunt.* Sine causa autem apparent, & quiescunt, quę sine vlla excretione, vi naturæ, aut medicamenti contingunt: aut si accidant die non critico, sine vllis antegressis signis, quę futuram excretionem significauerint: tū si excretio ad quam quiescunt, morbo, & eius causę qualitate, & quantitate nō respondeant. Hęc namque omnia contingunt naturæ debilitate, quæ funesta est. Gal. ad historiam Hermocratis 3. epidem scribit. *Quanto perniciosioribus prægressis signis meliùs habere videantur ægri, tanto peius habent*: & in Coacis, *Quæ præ-*

*prauis cum signis mitescunt, aut cum salutaribus nihil concedunt, contumacia sunt. Mala etiã signa, quæ præter rationẽ eueniũt, non sunt valde formidanda*, ex Hipp. aph. 27. lib. 2. *Plurima enim talia stabilia non sunt: neque multum durare, & permanere consueuerunt.* Illa autem sunt, quæ apparent iam editis coctionis signis. Non enim talia pendent à causa morbifica, at potiùs ex pugna naturæ, & morbi. Vt si 4. die ostendãtur signa coctionis salutaris, omnia, & bene vtcumque habeat æger quinto, & sexto die, septimò autẽ incipiat delirare, difficulter respirare, febricitareque vehementiùs, quia hæc fiunt sine ratione, nullum metum Medico prudenti incutere debent: sed tãtum opinionem conflictus futuri, quo morbus superabitur: ob hanc causam. Auic. lib. de cris. exclamando hæc effert. *Quot, & quanta signa horrenda conspeximus, vt earum pulsuum intermißiones, supreßionem sudoris: quibus tamen laudabilis crisis succeßit?* Cum enim superiora apparebant terrifica, natura intermiserat suas operationes, incumbens tota

materiæ coctioni, quæ perfecta resumit illas, materiamque morbificam expellit. Fit autem illa intermissio longo satis tempore rei magnæ causa, corpori humano valde conducibilis: persæpe enim dum anima in aliquam operationem exactiùs, & attentiùs incumbit, reliquas debiliores edere solet, Tunc Medico diligenter aduertendum est, num operationum animalis, & vitalis intermissio ad extinctionem illarum sit prolapsus, aut roboris naturæ ad aliquã operationem meliorem retractio: hoc dignoscitur ex præcedẽtibus signis coctionis, aut cruditatis. Fit ergo vt licet natura antea coxerit, tamen quò expellat robustiùs tota ferè sepulta manet aliquo tempore, sine vlla periculi suspicione. Si hæc contingant in cruditate, mortis proximæ præsagia existunt.

Firmiora signa existimantur, tum lethalia, tum salutaria, quæ vel diebus indicibus, vel iudicatorijs eduntur.

Quæcunque apparent, & fiunt diebus criticis, maximeque septimo, firmiora sunt ad salutem, vel ad intertiũ,

quàm

quàm quæ in alium morbi diem incidunt. Eorum tamen, quæ fiunt in diebus decretorijs, iudicium pēdet ex hoc axomate; decretoria signa non decernentia vel lethalia sunt, si æger deteriùs habeat; nam quæ conferre debent, & non conferunt, mala existimari debēt: aut difficilis iudicij, si tantum nihil iuuent, nec noceant multùm.

Quæ sunt morborum critica statim apparentia, mala: significant enim naturæ oppressionem à causis morbificis, quæ mala est, tum ex Hipp. communi edicto, apho. 30. lib. 2. *In principio, & fine morborum omnia mitiora.*

Symptomata à causis externis, aut à consuetudine nata nihil conferunt ad præsagium, vt stridere dentibus, quibus est consuetum, malum non est. Cum Hipp. scribat in prognost. *Stridere dentibus, quibus non est consuetum, malnm.* Nihil naturæ grauius, quàm frequens rigendi, & calescendi vicissitudo, quòd natura nunc victrix, nūc victa maneat & in concertatione debilitetur.

Morbi qui aliorum successione eue-

niunt, primigenijs sunt periculosiores; quia natura iam debilitata secūdos insultus vix sustinere potest. Vnde dicitur, Morbus acutus acuto succedens, mortalis.

Omnis motus morbifici humoris à parte ignobili ad nobilem, est funestus: & contra, si à partibus internis, & nobilioribus ad superficiem corporis fiat, laudabilis.

In acutissimis morbis aut cita mors venit, aut victoria læta. *Minùs periculosè laborant ij, quorum naturæ, vel ætati, vel consuetudini familiaris morbus est, quàm quorum nulli affinis cognatusq́; existit*, ex apho. 34. lib. 2. quòd causa significetur minùs violenta, & magna: paruæ verò causæ paruos morbos procreant: quare nec periculosos. Quales autem sint illi morbi, descripsimus in causis morborum.

Affectiones omnes dolorificæ quæ repentè occultantur in febre, absq; manifesta excretione, aut abcessu metastasin humorum in viscera nobilia significant: nisi adsit excusatio mortifica-
tionis

tionis partis antea dolentis,aut delirij.

Omnis affectio breuioribus interuallis repetens,sine causa euidente,magnitudinẽ & malignitatẽ illius ostẽdit.

*De prognosticis ad facultatem naturalem pertinentibus.*

## CAP. IV.

INteritus caloris natiui funestus est; quia facultatis naturalis interitum affert. Quocirca facies Hyppocratica initio morbi acuti nata, non à ventris profluuio,fame, aut vigilijs natis ex solicitudine aut mœrore,non verò ab intẽperie cerebri, & praua euaporatione nam ab ijs causis productæ solent esse pessimæ. Profluuium etiam ventris debet intelligi dyarrhœa fugax, aut hypercatharsis:nam si fuerit à debili intestinorũ retentrice, propter exolutionẽ, pessimum censetur: sed à colliquatione,& natiui caloris dissipatione, lethalis est,ex prognost. Depræhenditur autem illa facies, oculorũ cauitate, tem-

porum collapsione, narium acutiæ, auriculારum frigiditate, contractione, & euersione; cutis frontis duritie, & ariditate: colore faciei pallido, virescēte, nigro, liuido, plumbeo; quæ omnia caloris innati intermortui sunt effectus. *Vt valent oculi, sic & totum corpus*, ex 6. Epidem. Ergo diligenter spectandi sunt: nā ex colore, caractere, & mole cuiusque partis, siue consistētia, comparatur notitia habitus, temperamenti, & operationum dominantium in illa. Ea verò maximè apparent in oculis, quòd cæteris nitore, & puritate anteponuntur. Sunt enim gemmarum, & lapidū pretiosiorum manifestiores maculæ, quàm silicum obscuriorum. Quare, inquit Hipp. in Coacis, *Oculorum nitor, eorumq; alba substantia ex liuidis & nigris nitentia, salutare*: quia œconomiæ naturalis virtutem faciunt aspectabilem: ita si ab illa puritate immutentur, ostendunt infirmitatem facultatum nostrum corpus gubernantium, & naturalis œconomiæ impuritatem. Ergo, inquit Hip. Si puri citò reddātur post fœdationem

à mor-

à morbo pendentem,ea puritas nata ex principij,id eſt,cerebri virtute, & meatuum libertate, citam criſin oſtendit: ſin ſeriùs, tardiorem. Vt enim excrementorum coctio celeritatem,& ſecuritatem criſis denuntiat:ita perſonæ ipſius qualitates naturaliter conſtitutæ, vel in toto corpore, vel in quibuſdam partibus affectis morbo,au per conſenſum afflictis,cum priſtino ſtatui fuerint reſtitutæ,& ad ſe redierint,ex lõgo aduerſæ valetudinis interuallo.Non enim minora ſunt argumenta futurarum criſeωn in qualitate corporis,quàm in coctione excremẽtorum morbificorum: vt ratio oſtendit in morbis ſiccis cum humeſcere cœperint.Sin autem ſeriùs, tardiorem: cõtrariorum namque contraria ſunt conſequentia.

Illachrymatio ſponte nata, ſine vllo voluntatis imperio,neque à catarrho in oculos perlabente, ſed à debili facultate retentrice, quæ humorem alibilem ſinit elabi. Item oculi diminutio aut liuiditas, aut nigredo extinctionem caloris natiui indicant, ex 1.prognoſt.

Vlcus

*Vlcus ſiccum, liuidum, præſertim in morbis acutis, mortiferum*, eadem ratione exiſtimatur ex prognoſt.

Si totum hypochondrium fuerit inflammatum, dolens, tenſum, & inęquale, malum: potiſſimùm ſi talis affectio naſcatur à tumore aliquo partium internarum, & maximè iecoris. ex prognoſt. Peſſimum autem erit, ſi vtrumq; hypocondrium tale fuerit. In altera autem parte exiſtens, præſertim in ſiniſtra, minùs periculoſum. Non poteſt enim talis tumor naſci citra magnum damnum facultatis naturalis, quæ pręcipuum locum occupat in illis partibus: damna verò facultatis naturalis in ſecundo gradu perniciei habentur.

*Manuum, & pedum frigiditas cum calore ventris, & coſtarum in morbo acuto, ægro exiſtente iuuene, malum*, ex prognoſt. & apho. 1. l. 7. Signatur enim magnum incendium partium internarum, quo calor natiuus diſſipatur.

*Optimum cenſetur, ſi corpus omne æqualiter molle, & calidum fuerit*: Oſtenditur enim caloris natiui robur, ſeſe per om-

ne

ne corpus æqualiter propagnantis.

Omnis morbus frigidus ſuccedens morbo calido, præſertim in parte principe, lethalis eſt: vt carus phrenitidi; hydrops inflammationi iecoris. Significatur namque caloris natiui interitus; qui funeſtus eſt.



*De excrementis in vniuerſum.*

CAP. V.

NAturalis facultatis poteſtas in excrementis potiſſimũ elucet. Quapropter ab excrementis multa trahuntur prognoſtica, ad facultatem naturalem pertinentia. Excrementa quãtumuis mala in qualitate, & quantitate, bonis ægri rebus expelluntur: ſi die critico, præcedentibus ſignis coctionis, & cum ægri adiumẽnto extrudantur: ſignum namque eſt, corpus à facultate expultrice robuſta excrementis purgari, quod bonum eſt.

In excrementis iuſta moderatio eſſe debet, quæ vel omnino ſoluat morbum, vel leuiorem reddat: largior ſiquidem

dem excretio vires resoluit:parcior verò debilitatem naturæ ostendit: quæ si fuerit pauca, & frequens (præterquam quòd denotat naturæ debilitatem) insuper ostendit eius inanem conatum, nihil omnino iuuans,sed potiùs tendēs ad ægri perniciē. Omnis enim supres- corruptæ,&malignæ materiæ,mala est.

In excrementis contemplanda sunt coctio, cruditas, & prauitas. Coctio in epidemijs salutis securitatem, & iudicij celeritatem ostendit: nisi quid præter rationem coctum sit. Tale enim in morbo acuto prauū censetur ab Hipp. in coacis prænotionibus.

Nihil ineunte morbo,salutariter potest excerni, malaque est cuiusque humoris à corpore euacuatio, quæ fit ante coctionis signa. Quocirca, *morbis quibusuis incipientibus, si atra bilis suprà, infráue exierit, perniciosum*, ex Aph. 22. lib. 4. Illud præter rationem dicitur, cum eius nulla sunt antegressa signa coctionis, quod peculiari exemplo expressit Hipp. cap. de Vrinis, inquit enim, *Vrina quæ de repente coquitur praua est.*

Cruda

Cruda excrementa longitudinem morbi significant, si perseuerauerint longo tempore. Arguunt enim naturæ debilitatem: nam debilis natura nō potest coquere materiam, nisi longo tempore. Cęterum coctio, vt certam ostendat salutem, & iudicij celeritatem, oportet vt sit vera continua, & vniuersalis. Vera quidem, quia non rarò falluntur Medici opinantes veram esse coctionem in vrinis, ex crudo humore in fundo eorum subsidente, quasi verum sit sedimentum. Continua etiam debet esse coctio, vt fida sit: fit enim aliquando cùm non ex toto humor à natura superatur, vt manè appareat cocta, vespere autē delitescat coctio. Quare Hip. scribit in Prognostic. vrinam coctam debere perseuerare vsque ad crisin. At Gal. cap 4. lib. 3. de Crisib. præsagiuit ex coctione primi diei, morbi terminum. Verum hoc esse potest, si intelligamus in fine primi diei, & in simplici affectu. Neque etiam coctio continua certa est. Nam vbi expultrix facultas alterius est generis à coquente, vt in peripneumonia,

nia,& pleuritide,& alijs morbis pectoralibus, in quibus coctio eſt naturalis, expulſio animalis, perſæpe fit vt coctio valida ſit,expulſio autem infirma. Vnde ægri,cocta materia,moriũtur: quòd non poſſint præ debilitate motricis facultatis animalis, concocta expellere. Debet autem eſſe vniuerſalis, & totius materiæ morbificæ: fruſtra namque in parte quapiam coctio ſuſcipitur, morbo in reliquo corpore incocto exiſtente.

*Praua excrementa ſimpliciter periculum denotant. Si verò extremum gradum malignitatis ſint aſſequuta, mortem protendunt,* ex Gal.lib.1.Criſ.

Omnes excretiones, quæ morbos non iudicant,aut non minuunt, malæ ſũt: quia aut partium reſolutionem indicant, vnde manant; aut naturæ infirmitatem, quæ infeſta abigere conatur,nec poteſt:aut humoris copiam, ac feritatem ante tempus,naturam ad excretionem irritantis.

Omnis naturæ motus in excrementis,priuſquam morbus ſit maturus, inutilis

utilis censetur: satiusque est, naturam non moliri excretionem, quàm frustrà eam tentare.

Omnia excrementa morbis superuenientia, quæ dolorificũ malum foràs exire testantur, proptereaque in bonis ducenda, meliora existimantur, cum citò apparent. Ostendunt namque naturæ robur; & per consequens minùs bona, cùm serò exeunt, contrariorum lege. Inde sequitur, vt quæ malum minùs foras exire, sed intus perennitatem habere denuntiant, eo peiora censeantur, quo citiùs illa prodeunt. Significatur enim natura oppressa malignis causis, à quibus cogitur excernere, non sine sui labefactatione.

Omnis syncera excretio mala; quòd naturæ miscentis imbecillitatem ostendat.

Excretiones plurium, & variorum colorum malæ sunt, peioresque quo illi colores prauiores erunt: vt æruginosi, porracei, virides, nigri.

Omnis pinguis & oleosa, mala: quòd significet colliquationẽ ab adustione,

proindeque caloris natiui dissipationẽ.

In omnibus morbis ex humore ortis, malum est nihil excerni: quòd significetur naturæ debilitas.

Omnis excretio, vel abscessus, qui vbi moueri ceperit, statim desinit, multo deterior est, quàm si nullo modo appareret. Significat enim naturę infirmitatem, quæ incepisse potuit, perficere non valet.

Nulla excretio, quantumuis critica, potest videri salutaris, cum virium infirmitate.

## DE VRINIS.

## CAP. VI.

VRina optima est, vt inquit Hipp. in Prognosticis, *si candidum habuerit sedimentum, leue, & æquale, omni tempore, donec morbus iudicetur*: hæc enim significant vrinam esse perfectè coctam. Coctio autem, ex theoremate superiori securitatem salutis, & celeritatem criseôs demonstrat. *Si verò intermiserit, atque interdum*

*terdum mingatur sine sedimento, & aliquando habeat sedimentum album, leue, & æquale, morbum diuturnum, & minùs securum ostendit*: quòd illa successio coctionis, & cruditatis significet naturam cũ morbo paribus viribus pugnare.

Hippocrates in Coacis prænotionibus scribit. *Vrina bonum sedimentum habens, quod derepente euanescit, laborem, mutationemq́; significat*, ob eandem causam.

*Si vrina fuerit subrubra, & sedimentum subrubrum, ac leue, diuturnior hæc quidem est, quàm prior, valde tamen salubris*. Salubris quidem, quia humor peccans mitis est, quippe sanguineus; neque solet prauitate sua, ac malignitate magna afferre pericula: diuturnior verò erit, quòd incoctus humor egeat temporis diuturnitate, vt coquatur.

Qui in vrinis celeriter sedimentum habent, celeriter iudicantur, ex eisdem coac. præn. Celeriter autem intelligitur, intra paucos dies: nam vrina derepente cocta mala iudicata fuit.

*Subsidẽtiæ in vrinis, speciem farinæ crassioris referentes, malæ sunt*: significant

nim ſanguinem aſſari: ad quam aſſationem ſequitur caloris natiui diſſipatio. Iis autem peiores ſunt ſquammoſæ; ex prognoſticis: denotant enim partes ſolidas exuri, & colliquari; vnde ſequitur caloris natiui diſſipatio.

Tenues verò, & albę valdè malę: quia cum, ex Galeno 1. de criſib. cap. 12. naſcantur per admixtionem flatuoſi ſpiritus, & excrementi humorum ſemicocti, cōcoctricis infirmitatem oſtendũt: proindeque coloris natiui debilitatem.

Hipp. in Coacis prænotio. cap. de vrinis, *Vrina quæ alba funditur, atque pellucida, mali eſt hominis.* atq; potiſſimùm hæc in phreniticis. Verùm intelligẽdũ, non de vrina alba, & tenui quæ poſt ſigna coctionis apparere poteſt ad tempus, ſpeciem criſis denotans: quæ neq; proficiſcitur à nimio aquę potu, aut à vehemẽti rerũ attractrice, ob inexpugnabilẽ ſitim renũ: ſed quę ſucceſſit fugaci, vel citæ coctioni, vel quę ad morbũ exactũ, nullo modo à ſe mutata, meiẽdo expreſſa eſt, & quę à renib⁹ ducta è venis eſt, vi attractrice bene ſe habẽte

Iis

*Iis verò peiores sunt furfuraceæ*:ex prognost. siquidem ab adustione,& colliquatione humorum nascantur. Nam si à scabie vesicæ ortũ ducant ; vesicæ tãtùm affectionem patefaciunt. Signum autem colliquationis est febris vehemens,& ardens : causa namque est signum Medico.

*Nebulæ verò albæ bonæ*, quia coctæ.Vt autem tales sint, crassitiem aliquã habeant est necesse : non tamen tantam, vt pondere subsideant.

*Nigræ malæ*, quia aut extremam frigiditatem significant qua calor extinguitur natiuus ( ex sententia quorumdam,quæ falsa est: quòd in corpore viuentis nulla possit esse tanta frigiditas, vt ex ea fiat vrina nigra ) aut intensam caliditatem , qua dissipatur calor natiuus,

*Quandiu vrina erit ruffa , & tenuis, crudum signat esse morbum*, ex quo colligere licet, longum fore: quòd *si diuturnior sit,& vrina talis perstiterit,periculum est,ne æger non possit sufficere,donec vrina coquatur*: quòd in dies calor nati-

uus debilitetur.

*Ex vrinis magis exitiosæ sunt fœtidæ*, quòd magnam putredinem in humoribus cõceptam significent, in qua calor natiuus dissipatur: nisi sit excusatio vlceris earum partium, per quas vrina solet expurgari, & in quibus ipsa generatur.

*Aquosæ malæ sunt vrinæ*, ob debilitatẽ coctricis facultatis, quam significant.

*Nigræ à colore adurente, malæ censentur.* Si autem tales extiterint ex admixtione humoris nigri,& melancholici criticè repurgati, bonæ censentur: Symptomaticæ autem nigræ non sunt bonæ. Cæterùm, nigra mala eo peior cẽsetur,quo crassior est: quia significat maiorem adustionem, ex qua sequitur maior dissipatio caloris innati.

*Viris & mulieribus vrinæ nigræ pessimæ sunt, pueris verò aquosæ*, quòd in illis significent magnum caloris natiui à natura sua recessum, quam ob rem dissipatur: in his autem extremam caloris natiui debilitatem: nam cum pueri plurimum habeãt caloris innati ex primo

aph.

aph.14.& ideo optimè coquant,coctioque omnis fiat incraſſando,naturaliter vrinæ puerorum debent eſſe craſſæ. Aquoſa autem tenuis eſt:quare mala in pueris:in adultis autem debet eſſe tenuis vtcunque,ex contraria ratione. Si verò in ętate prouectis ſit nigra,& craſſa,peſſima eſt:ſignificat enim non tantùm adduſtionē, ſed vehemētem aſſationem,qua tenuior pars vrinæ diſſipatur,& craſſior remanet.Si verò tales vrinæ contingant ex ſuppreſſione menſtruorum, nihil mali portendunt. Eſt namque expurgatio illius matęrię corruptæ,ex Gal.in hiſt. mulieris in 3.epid. ſcripta.

*Pingues vrinæ ſimiles telis aranearum, damnandæ ſunt*,ex prognoſt.ſignificant enim colliquationē pinguedinis, proindeque caloris natiui diſſipationem.

*Nec te decipiat ſi veſica ægrotans aliquã talem reddiderit vrinam:non enim morbum totius corporis oſtendit, ſed veſicæ ſolius:* quod adiecit Hipp.ad cautionem; neque tantùm de veſica intelligendum, ſed etiam de renibus, & alijs partibus,

quæ vrinæ generandæ, & deducendæ sunt dicatæ. Nam fœtida vrina potest significare vlcus renum, sine vlla putredine in humoribus existente. Cæterùm oleosa à pingui non distinguitur causa, sed gradu causæ, & materiæ: quòd scilicet maior sit adustio in oleosa. Materia autem illius est fusio alimenti proximi, aut substantia partis proximæ solidæ.

Auicen. cap. 89. libro de crisibus scribit secundum sapientis opinionem, Cùm oleosa nigræ succedit, bona censetur: deterior autem est in principio morbi.

*Pueri lac sugentes, si plurimùm mingăt, non diu viuunt*: ex Hipp. lib. de dentitione: multa namque mictio attractionem renum validam arguit, quæ ab excedente calore nascitur. Quam ob causam facilè dissipantur, & liquescunt carnes teneræ: ac proinde viuere non possunt.

De

## DE ALVI *deiectionibus.*

## CAP. VII.

O*Ptima deiectio* (inquit Hippoc. in Prog. & Coacis) *mollis est, constans: tempore per valetudinem consueto excernitur: quantitate ingestis respondet, certa proportione. Sic enim exeunte, imus venter benè habebit, bonáque existimabitur.* Deinde addit colorem, & odorem, cum inquit, *Subruffa admodum, & graueolens esto.* Subruffa fit, ex admixtione flauæ bilis in chysti fellis residentis, effusæ in intestina, quæ ostendit eum meatum obstructione carere. Mediocris autem graueolentia naturæ coctionem declarat, sine magna putredine: proindeq́ue naturalis facultatis robur. Nam quæ grauiter olent putredinem ostendunt: quæ nihil olent, coctricis facultatis debilitatem.

Si deiectio fuerit liquida, opus est distinctione ex causa:nam aut fit quòd chylus non feratur ad iecur. Non fertur autem,aut quia non attrahitur à iecore, præ debilitate attractricis illius, aut quoniam venæ meseraicæ sunt abstructæ: vt in fluxu chyloso & cæliaca: aut à confluentibus humoribus à iecore,& liene : aut ab alia parte in vẽtrem. Chylosa deiectio mala est, propter priuationem nutritionis: peior autem illa, quæ à læsa attractrice iecoris proficiscitur: quæ verò ex cõfluentibus humoribus à liene,iecore,& alijs partibus,siquidem fuerit critica, bona : symptomatica verò mala. Quæ distinguuntur hoc pacto,quòd scilicet critica, & laudabilis deiectio non strideat, nec crebrò, & pauca deijciantur; nec multa, & frequenter: sed multa, & rarò, ex prognost. & coacis. Symptomatica contra. Quare cum ostendat stridens deiectio flatum commixtum cum fecibus, debilitatem coctricis denotat. Sæpe concitatur,& idcirco vigilias excitat, & debilitatem, eóque magis, si

multa fuerit. Dissipatur enim calor natiuus vigilijs, & deiectione multa. Sæpe symptomatica deiectio mala in laudabilem mutatur: parte enim oneris leuata natura, quod reliquum est meliùs coquit. Quare si deiectio in principio liquida exciterit, incrassetur autē, morbo eūte ad iudicationem, bona est: ex proprognost. & coacis: significatur enim victoria naturæ supra morbum. Signū autem illius transmutationis est virium robur.

*Vtile est lumbricos excerni teretes cum deiectione, vbi ad crisin peruenerit morbus:* nam si exeant cum deiectione, crisi instante, naturæ robur significatur. Si verò per os, aut per anum expellantur sine deiectione aut sine fæcibus ostenditur eorum copia, aut malignitas materiæ, quam vermes fugiunt; quæ omnia sunt mala. Nam vermium copia putredinis quantitatem ostendit, vt etiam malignitas, quæ oppugnant calorem natiuum.

Deiectio aquosa, quæ à debilitate coctricis pendet, diuturnitatem morbi signi-

significat: si candida fuerit, per priuationem bilis: aut crocea, ex syncera bile; aut spumans à flatu,& feruore: aut rubra,à mixtione bilis rubræ, aut sanguinis,mala est. Nam candida obstructionem meatus cholidochi crocea pura imbecillitatem naturę miscẽtis:spumea natiui caloris debilitatem significat:quæ omnia mala sunt.

*Mala item deiectio est, si fuerit parua, glutinosa,alba, subcrocea, ac læuis.* Glutinosa, & alba ostendunt prauam colliquationem:subcrocea, & læuis, magnã colliquationem pinguedinis firmæ, ac vetustæ. Læuis autem efficitur, quia omnes illius partes alteratę sunt: læue namque redditur quicquid ex corpore excernitur,aut quod receperit ęqualẽ in omnibus partibus à calore naturali coctionẽ,aut propter vehementẽ cõsumptionem à calore: ita vt nulla pars materiæ alterationem effugerit. Vt igitur quicquid salubre est, id omne efficitur salubrius, quoties æquale fit: ita quicquid malum est, id omne deterius euadit,si læue,ac æquale exciterit.

*Magis*

*Magis autem lethales sunt nigræ atrabilariæ*, ex prognost. præsertim incipiente morbo,ex aph.22.l.4. *Morbis quibusuis incipiētibus,si atrabilis supra infráue exierit, perniciosum.*Item ex aph.23.eiusdem lib. *Quibus per morbos diuturnos, & acutos, aut vulnera, aut alium modum extenuatis, atra bilis, aut veluti sanguis niger subierit, postridie moriuntur.*

*Pingues, vel liuidæ, vel æruginosæ, vel fœtidæ, malæ.*ex prognost.& coac. Pingues colliquationem portendunt, quæ mala iudicata fuit: liuidæ, mortificationem caloris innati: æruginosæ malignitatem humoris: fœtidæ putredinem:quæ omues sunt malæ. Ac nigræ, siquidem criticè exeant,bonæ esse possunt. Si verò symptomaticè, malæ: siue nascantur ex permixtione atræbilis, aut sanguinis corrupti extra vasa sua.

Variegatæ deiectiones diuturnum significant morbum: Quòd multis superandis natura par esse non possit,

possit, nisi longo tempore. Sunt tamen per sæpe lethales, præsertim si fuerint mali colores, quales sunt æruginosi, cruēti, porracei, nigri, & præcipuè cùm separatim excreti mali censeātur, quòd significent prauas, easque varias affectiones, quibus exagitata natura perimitur.

*Flatum sine crepitu, aut sonitu exire, sēper est optimum*, ex prognost. & coac. quia eius parua copia indicatur. *Quoquo modo autem exierit cum sonitu, melius est, quàm reuolui*: excreta enim non amplius nocent. Adde quod significatur robur naturæ pellentis. Quæ verò retinentur nocent, si fuerint præter naturā.

Flatus cum sonitu emittitur, aut nobis ita iubentibus, vt solet videri in his, qui pedunt ad libitum: aut nobis delirantibus, cum scilicet coram maioribus nostris, aut coram ijs quibus cum nulla nobis intercedit familiaritas, quosque plurimi facimus, pedimus: aut nobis coactis propter doloris vehemētiam, cuius violentiâ verecundia superatur. Quare crepitus sponte ortus citra

tra voluntatis imperium, mentis alienationem, aut dolorem significat, tum etiam magis, si nobis inuitis illud contingat, ex prognost.



## *DE VOMITV.*

## CAP. VIII.

VOmitus nomine intelligimus hoc loco, omnia quæ motu præter naturam ventriculi, per os excluduntur; vnde cõijcimus, robur aut debilitatem facultatis naturalis.

*Vomitus autẽ vtilissimus est, si quã maximè ex bile, & pituita flaua fuerit cõmixtus, non admodum crassus nec multus*, ex prognost. Synceriores excretiones namq; deteriores: ibidem vt iam dictum fuit sæpissimè. Pituita verò, & bilis benigniores humores existimantur ex ijs, qui sunt præter naturam. Priuatio autem crassitiei significat, neq; calorem, neque frigus valde dominari, & cùm paucus sit paruam redundantiam humorum denotat.

Si

*Si id quod vomitur porraceum est, vel liuidum, nigrumúe, malum censetur.* Porraceum fit, aut à calore, aut à frigore excedente: ab vtroque calor natiuus destruitur. De nigro, & liuido superiùs dictum est.

*Si omnes colores, qui possunt excerni, quis vomuerit, lethaliter habet*: deteriùs siquidem est vomere diuersos colores, quã excernere: quia humores vomitu deiecti proximiores sunt partib⁹ præcipuis, quàm qui per aluum deijciuntur. Adde quòd significatur naturæ vexatio à diuersis humoribus, ijsque malignis, quibus superandis natura par esse non potest.

*Celerrimam mortem ostendit vomitus liuidus, si fætidum oleat*: liuiditas enim cũ fœtore pendet à frigore per extinctionem caloris innati, quæ funesta est.

*De sputis è pectore ductis.*

## CAP. IX.

F*Acilitas, & celeritas eductionis sputi est bona*, ex Hipp. in progn. & in coacis pre-

prænot. significat enim robur facultatis expultricis, & materiæ laudabilem consistentiam, quæ arguit naturæ vim. Quare difficilis, & tarda expectoratio mala est. Distinguendum tamen cuius rei vitio hæc contingat, & quo pacto. Nasci enim potest aut ex debilitate motricis facultatis musculorum respirationem efficientium, aut instrumentorum, quæ expectorationi præsunt lęsione, aut materiæ sputi indispositione: nam tenuior sputi materia eludit expulsionem: viscida verò partibus hæret, nec excludi facilè potest. Quæ facultatis imbecillitatem agnoscit, mala est. Item quæ instrumentorum vitio fit: minùs autem mala est ea, quæ depēdet ab indispositione materiæ, quòd faciliùs sit ei remedium afferre.

*Praua* (inquit Hipp. in coac. *est expectoratio, si multò post dolorem fiat, idq́ sputi non permisti, multamq́ tussim inducentis.* Mixtio autem triplex est, materiæ corruptæ cum vtili, quæ praua est: oritur enim excernentis facultatis debilitate. Secunda est materiæ vitiosæ, vel

F mor-

morbificæ cum excremẽtitia, quæ bona est, significans naturæ robur. Tertia constat ex varijs excrementis, quæ morbi longitudinem, & difficultatem demonstrat, vt in superioribus dictum est.

*Sputum permixtum flauo, bonum est: quòd cum sit laudandum in omnibus morbis thoracis, potissimum tamen in pleuritide:* Nam cum illa nascatur vt plurimum ex bile, aut sanguine, qui loco conclusus calido cõuertitur in bilem, sputum bile tinctum materiam morbificam educi ostendit. Excretio autem materiæ morbificæ laudanda semper est.

*Aeruginosa sputa, & nigra, viridia, lethalia*: significant enim aut incendium, aut summam refrigerationem non positiuam, sed priuatiuam, hoc est, natiui caloris dissipationem.

*Sputum candidum, glutinosum, rotundum, inutile*: eo quòd fiat à pituita calore igneo adusta, vnde dissipatur calor natiuus.

*Sputum puri simile, laudatur, vt in pleuritidis statu. Glutinosum verò quod fit co-*
*ctionis*

*coctionis vi, bonum eſt. Lentum autem, & viſcidum, cum fiat ſine coctione, pernicioſum cenſetur:* quòd dependeat à calore febrili, quo aſſatur pituita, & debilitatur calor natiuus. Talia ſputa obſtruũt meatus: quocirca tuſſim mouent, & expectorationem prohibent.

*Sputum ſpumeum & viride, malum:* quia vtrumque ſignificat caloris exceſſum, præſertim viride: nam ſpumoſum poteſt etiam naſci ex longa agitatione.

*Suppreſſio ſputi ante morbi terminum, mala eſt:* quia cauſam morbi intus relinquat: aut ſi quid excernatur quod dolorem non ſedat, malum eſt: excretio namque ſine doloris mitigatione, labor eſt inutilis, & ſine fructu.

## *De ſputo ortum ducente à cerebro, De muco, & ſordibus aurium.*

### CAP. X.

TEnüe ſputũ, & tenuis mucus cruditatem oſtendunt: proindeq; par-

 tium,

tium, vnde manãt, debilitatem: eorum incrassatio coctionẽ, & robur ostendit. Tamen crassus omnis non semper bonus, quia aliquando à calore præter naturam fit, dissipata tenuiori sputi portione. Verùm quæ natura superante crassescunt facilè emunguntur, & spuuntur: quæ verò à calore præter naturam, difficilè.

Fœtidus mucus, malus est: quippe putredinis soboles. Acres muci, & salsi percipi nõ possunt, nisi quis more puerorum suum mucum lingat: mali tamẽ sunt. Deprehenduntur verò partium nasi & adiacentium erosione.

Insipida sputa bona sunt, quia à miti pituita fiunt.

Mucus sponte fluens, malus: quòd retentricis imbecillitatem ostẽdat, aut materiæ tenuitatem nimiam, quæ à natura subigi non potest.

*Aurium sordes dulces, lethales*, ex Hipp. 6. Epid. quòd fiant ab extincto calore natiuo: fœtidæ autem malæ, quia nascuntur à putredine.

DE

## DE SVDORIBVS.

### CAP. XI.

*Sudores febricitantibus boni, si inceperint die tertio 5. 7. 9. 11. 14. 17. 20. 27. 31. & 34: hi enim sudores morbos iudicant*: nam eo tempore natura mouet: qui verò alijs diebus fiunt, nascuntur potiùs à morbi violentia, quàm ex naturæ dominatu. Neque tantùm opus est, vt diebus criticis fiant, sed oportet eos toto corpore manare calidos, efficereque, vt æger faciliùs morbum ferat. At si nihil horum produxerint, inutiles sunt: demonstrant enim naturæ debilitatem.

Pessimi verò sunt frigidi in vniuersum circa caput, collum, & faciem orti: nam significant extremam caloris innati debilitatem.

*Frigidi sudores cum acuta febre mortem prænuntiant*, vt inquit Hipp. in aph. *cum leuiore verò morbi longitudinem*. Nam illi extinctionem caloris innati ostendũt: hi verò materiæ cruditatem, contuma-

ciam, aut copiam, quæ ſolent longiores morbos procreare.

*Qui vnâ cum febre incidit ſudor, ſi fuerit acuta, peſtiferus eſt*, ex coacis: ſignificatur namque ardor maximus à quo calor naturalis diſſipatur in principio febre perſeuerante: fitque magis expreſſione, quàm excluſione, quod prauum eſt. Omnis namque ſudor ab expreſſione, malus.

## *De ſanguinis ſtillicido.*

## CAP. XII.

SAnguinis ſtillicidium perpetuò prauum, cùm à cauſa interna proficiſcitur: denotat enim naturæ molientis conatum, vt & omnes exiguæ excretiones, ſed non potentis expellere id quod noxium eſt. Hyeme tamen minùs malum cēſetur, cum partium per quas fit, & emanat, & ſanguinis denſitas à frigore circunſtante nata, fluxionem amplam prohibeāt. Deterrimum autē, quod in acutis æſtate, aut autūni principio

cipio incidit: quia illis temporibus bilis flaua redundet, atque aër ambiens calidus est, quibus sanguis ad fluendum aptissimus fit, quia rarescit. Quocirca causa stillicidij consistit in naturæ infirmitate, & sanguinis crassitie, qui exuritur à calore vehementiore. Item euanescēte tenui parte sanguinis, crassior abit in atrambilem, quæ expulsioni reluctatur, propter crassitiem.

*Quibus è naribus paucus sanguis stillat cum surditate, & torpore, hi difficile quid habent*, vt scribit Hipp. in coacis. significature enim cerebri, proindeq; facultatis animalis oppressio.

*Sanguis* qui stillat crassus ab adustione, & niger die critico, aut indice, si cum prauis symptomatis connectatur, mortem in propinquo esse ostēdit: est namque atrabilarius, quem natura nititur expellere, nec potest, cuius tandem malignitate euicta extinguitur.

*Tertio, aut quarto die stillare sanguinem malum est*: significat enim naturā causis morbificis oppressam, tum illius à perturbatione alterationem, quòd mate-

riam laudabilem expellat, intus corrupta relicta.

*In morbis autem longis stillicidia sanguinis lethalia*, ex coacis, ob debilitatem naturæ expellentis.

## *De sanguinis profluuio.*

## CAP. XIII.

*SI quis non è directo partis affectæ sanguinem profuderit, malum.* Vt si liene affecto, è nare dextra sanguis effundatur. Omnis enim laudabilis sanguinis fluxus pluribus rationibus debet fieri, è directo, lege naturæ, quæ per breuiora spatia solet suas excretiones moliri. Quidam tradunt causas plures huius effectus, nempe propter meatus oblongos, & rectos nostri corporis: secundò quòd natura soleat tantùm explere per rectam viam: tertiò quòd in venæ cauæ trunco sanguinis partes suos situs, & fluxus obseruent, vt in aqua fluente; aut quòd igneus calor in sanguine redundans, rectà in sublime deuehat humores,

mores,nec obliquè aſcendat. Hoc autem theorema quotidiana confirmatur experientia.

*Quibus eruptio ſanguinis multa fuerit ex quacunque parte fiat & quocũque modo, ſiue ſecta vena, aut vulnere inflicto, aut ſponte naturæ,procedēte tempore, aluus malè afficietur,* id eſt,excitabitur profluuiũ ventris, ob debilitatem caloris innati à nimio ſanguinis profluuio natam, niſi vrina cocta fuerit, qua robur illius ſignificatur.

*Quibus è naribus larga, & violenta ſanguinis eruptio vi ſuprimitur, interdum in ſpaſmum ſeu conuulſionem incurrunt:* ſi quidem materia transferatur in neruos: *aut in apoplexiam*, ſi impleuerit ventriculos cerebri: *aut in ſuffocationem*, ſi in thoracem perfundatur. *Soluit autem vena ſecta humeralis*, nẽpe à directo nari reſpondens,ex qua sãguis priùs effundebatur.Omnis namque ſanguinis cõſueta euacuatio, quæ præter rationem ſupprimitur,id eſt,nec detracto ſanguine,nec aliter copia euacuata, plethoricum aliquem morbum accerſit.

*A multa sanguinis fluxione singultus, aut conuulsio, malum*: nam *omnis conuulsio, aut singultus ab inanitione lethalis*, ex Hipp. in aph. quia à priuatione ad habitum non datur regressus.

*Ex naribus erumpente sanguine cum sudore pauco, perfrigerationes maligna*, ex coacis. significatur namq; naturæ imbecillitas, & eius dissolutio, vt in coacis cap. de dorsi, & lumborum affectibus scribitur, ab Hipp.

*Qui statutis temporibus sanguinem profundunt, si loco, & tempore consueto nō profuderint, epileptici moriuntur.* Est autem intelligēdum de larga narium hæmorrhagia vel suppressa, quę conuulsifica esse solet. Ex Aph. 20. li. 4.

*Sanguinem supernè quidem ferri, qualiscunq; ille sit, malum: infernè verò niger si deijciatur, bonum*, intelligendum non subitò, sed sensim, euacuatū in macis, & melancholicis per hæmorrhoidas. Item si nigra excrementa sint facta à cunctatione excretionis qua denigrantur.

Omnis excretio sanguinis facta per partem principem periculosa est: vt in

in cerebro subsistens propter debilitatē expultricis, generat apoplexiam, conuulsionem, aut epilepsiam.

## DE SINGVLTV, & sternutatione.

### CAP. XIV.

LAethalis omninò est acuta febris, in qua frequens singultus, & propè continuus est: quòd significet siccitatem superioris orificij stomachi, ab ardore febrili, quo dissipatur calor natiuus.

*In laboriosa febre malus est.* Nam causam eius auget, & auctam ostendit, viresque laboriosa cōcussione planè prosternit.

*Quomodocúnque* singultus fiat, magis periculosus est in virium deiectione, & in senibus, quàm in alijs.

*Singultus* à siccitate, læthalis. Fit autem quòd venæ exinanitę mutuum beneficium reposcant à neruis.

*Sternutatio*, inquit Auicennas, *in statu morbi nata, bona esse censetur: in principio verò*

*verò significat coryzam, & humoris mordacitatem.*

*In omnibus pulmonis morbis grauedines, & sternutationes tũ praire, tum subsequi malũm*, ex prognost.

## *De prædictione ad vitalem facultatem pertinente.*

CAP. XV.

PVlsus vehemens semper bonus æstimandus est, licet nonnumquam facultatis ostẽdat irritationem, conantis expellere quod noxium est, vt initio dolorum, & in conflictu critico. Bonus tamen semper existimandus. Nam demõstrat robur facultatis. Debilis enim facultas irritata nunquam vehementem pulsum excitabit. Huius contrarius languidus est mal⁹, quia facultatis debilitatem ostendit.

Pulsus celerrimus, & creberrimus mali sunt. Denotant enim caloris naturalis, & spirituum dissipationem.

Tardissimus etiam, & rarissimus pessimi sunt, ob ingẽtem refrigerationem corpo-

corporis cordis; aut in eo cōtentarum, vel circumpositarum partium, quam ipsi pulsus patefaciunt.

Mollissimus,& durissimus pessimi habentur, quoniam denotant corporis arteriæ, aut alterius partis cum ea cōmunicantis affectiones extremas, & excedētes, à quib⁹ nō leue impēdet periculū.

Minimus quoq; malus est. Etenim debilitatē ostendit extremā & vsum valde imminutum. *In summa, omnes pulsus, qui longè à mediocritate recesserint naturali, boni non sunt, verùm alij alijs sunt peiores*, inquit Gal. de præsag. ex pulsibus.

Languidissimus, tardissimus,& rarissimus omnium pessimi sunt: ab illis minimus mollissimus,& durissimus: post ea creberrimus: at non celerrimus, & maximus: sed sunt hi modicè periculosi. Vnus verò inter extremos, optimus est vehementissimus, ob facultatis vitalis robur, quod demonstrat.

Pulsus intermittēs,& debilis, læthalis. Nā debilitas ipsa per se mala est, cui cū adiungitur intermissio, peior est: cùm intermissio sit quidā deffectus pulsus,

& via

& via ad ἀσφυξίαν, id eſt,ad priuationẽ pulſus.

Intermittens, in quo duarum pulſationum tempore arteria quieſcit,eſt lethalis.Gal.enim cap.4.lib. 2. de præſag. ex pulſibus ſcribit. *Neſcio, an cum tali pulſu ſuperſtes quiſquam eſſe poßit.* Nam intermiſſio illa non tãtùm facultatem opprimi,ſed ſummè debilitari portendit. Summa verò debilitas facultatis vitalis,periculi plena eſt.

Intermittens,qui tempus vnius motus æquat , aut plus aliquantulum habet temporis, periculoſus valde nõ eſt, præſertim in ſenibus, quòd eorum facultates debiles, à paruis cauſis offendantur, firmæ verò tantùm deijciantur à maximis. In pueris etiã minimè formidandus quia in illis facultas quæ pulſibus præſidet eſt imbecilla plurimùm. Quocirca à paruis cauſis facilè læditur. Sunt autem coctrice firmiore. His addi poteſt facilitas perſpiratus,nõ mediocre ad tollendos morbos auxilium. At in iuuenibus talis pulſus periculoſus eſt , quòd à magnis cauſis ortũ ducat.

ducat. Verùm diligenter aduertere debemus, num sit naturalis: nam quod naturale est nullum periculũ portẽdit.

Pulsus intercurrens non raro iudicatorius, siue criseos est prænuntius. Est namque veluti conatus naturæ ad pugnandum paratæ: differtque, ex Gal. ab intermittente: quòd in intercurrente decertet natura cum noxijs; in intermittente verò hoc piget illam facere.

Intermittens in vno pulsu, cum diuersus sit, varia demonstrat: si quidem vehementior sit secundus motus, aut celerior primo, melior est pulsus. debilior autem, & tardior, peior.

Inæqualitas in vno pulsu, inæqualitatũ omniũ incõmodissima est. Nam easdem causas habet quas collectiua, sed deteriores. Ad hæc collectiua multos habet pulsus sine intermissione: hęc verò nullos: sed cum semel inceperit, in intermissione semper perseuerat: at malum quod caret intermissione peius est habendum, eo quod aliquando intermittit.

Pulsus vndosus ex se debilitatẽ ostendit

dit, si vehementiam aliquam habeat coniunctam, nécnon altitudinem, sudoris est prænuntius, maximè si indicia appareãt coctionis materiæ morbificę. Vndosus enim solus per se significat mollem arteriam, & facultatem satis debilem, quæ simul, & semel omnes arteriæ partes mouere nequit. Mollis arteria fit ab humore in corpore redundante, quem copiosum esse oportet, cũ mollis reddatur arteria: humor verò copiosus, est materia sudoris. Quare cum vndosus vtcumque vehemẽs est, & altus, robur facultatis satis magnum declarat, à qua potest expelli humor redundans. Quam ob causam sudor in tali pulsu sperandus est. Verùm quia materia sudoris, & vrinæ eadem est, satiùs est prædicere cum distinctione, aut sudorem, aut vrinam: prout alterutrius signa apparuerint.

Vermiculosus pulsus maiorẽ quàm vndosus debilitatem significat.

Formicans verò vermiculante multò est deterior, propter maiorem debilitatem, quam denunciat. In febribus autem

autem diuturnis eſt mortis prænuntius certus. Animaduertendum eſt tamen, vt doctè Strutius, libro de pulſibus ſcribit. Si illi pulſus, inquit, naſcantur à cauſis facultatem ſubitò reſoluẽtibus, quæ emendari poſſunt, non ſunt formidandi tantoperè. *Quæ enim citò reſoluuntur corpora, citò etiam reficiuntur*, ex Hipp. in Aph. 7. lib. 2.

Myuri pulſus, ſeu vt barbari dicunt, caudamuris aut cauda ſoricina, vel decurtati omnes oſtendunt facultatis debilitatem: ſunt tamen diuerſi; nam aut in vno pulſu, aut in diuerſis pulſibus ſeſe conſequuntur. In vno pulſu præter debilitatem oſtendunt etiam corporis gracilitatem: qui autem eſt in aceruo poteſt contingere ſine gracilitate.

Decurtati pulſus in aceruo, id eſt, in pluribus pulſibus, aut sũt reciproci, aut deficiẽtes. Reciproci minus periculum denuntiant: deficientes verò aut pauco quidem intermiſſo tempore reciprocãtur, qui minùs periculoſi ſunt, quàm cùm omnino deficiunt: tũc enim mors in propinquo eſt. Strutius tamen obſer-

uauit in Luca de Gorca Polono Magnate, pulſus priuationem 14. dierum.

Pulſus errans quātò eſt manifeſtior, tantò eſt deterior; quia ingentem tumorem teſtatur, qui longa eget coctione: & niſi æger fuerit robuſtus, ſuccumbet.

Conuulſiuus pulſus alius alij præferendus: nam qui poſt plurimos ſudores, aut vomitus aut alui deiectiones accidit, ægrè reſtituitur in priſtinū ſtatum, & malum ſignificat propè inſanabile. Qui verò naſcitur repentè, & ſtatim in prĩcipio vel paulo poſt principiū non eſt adeo periculoſus, modò à re venenata non oriatur, qui ſolet eſſe perniciofior.

Pulſus vibrans indicat naturã cum morbo pugnare, vnde futurum terminum in morbis ſperamus.

Pulſus tremulus ſyncopis in febribus acutis eſt, & mortis omẽ, ob extremam quam oſtendit facultatis vitalis debilitatem.

Pulſus palpitans nullum creat periculum.

De



## *De prædictione ad facultatem animalem pertinente.*

### Cap. XVI.

Omnis motus vitiosus, aut actio læsa quæ nascitur ab arbitrio, læsum ostendit cerebrum: motus quidem vt tremor, & conuulsio: actio verò, vt gesticulatio manuum, spectra falsa, frequens respiratio, & alia multa. Læsio autem cerebri denotat facultatem animalem, & temperiem cerebri in vitio esse.

Omnis immoderata motio, & quies earum partium quæ arbitrio mouētur, citra causam euidentem, delirium portendit: fit enim sine ratione, cum causa nulla sit: vt si quis abigat hostes, cum nullus præsens sit.

*Considerare etiam conuenit hunc in modum suspectiones oculorum per somnum: si quid enim cādidæ partis subappareat, commissis palpebris, nec alui fluor aut medicamentum in causa sit, aut ita dormire con-*

*sueuerit*, *exitiale admodum*, significatur enim facultatis palpebras mouentis ad coniunctionem imbecillitas, aut conuulsio musculorum illas claudentium, quæ mala censentur.

*Si retorta fiat palpebra, vel labrum, vel nasus, cum aliquo ex alijs prauis signis, oportet intelligere ægrum morti esse proximum*, quod equidē significatur conuulsione illarum partium à siccitate, quæ lethalis est, præsertim cum progreditur ab affectione partis principis, nempe cerebri, quod est neruorum principiū. Quare in Aph.49.lib.4.scribitur: *In febre non intermittente si labrum, vel oculus, vel nasus, vel supercilium peruertatur, vel non videat, vel non audiat, debili iam existente corpore, quicquid horum euenerit, in proximo mors est.* Nam si ad conuulsionē, quæ significat cerebri læsionem, accedat corporis reliqui debilitas, æger in maximo vitæ discrimine versatur.

Omnis conuulsio à siccitate lethalis est, nam à priuatione habitus denuò nō recuperatur: siccitas autem quæ conuulsionem parit, priuatio quædam est humo-

humoris alimentarij.

*Cubantem oportet inueniri ægrum à Medico super latus dextrum, aut sinistrum, manibus, ceruice, aut cruribus parũ inflexis, & vniuersum corpus molliter iacens: sic enim sanorum plurimi decumbunt.* Optimi verò sunt decubitus sanorum similes: arguũt enim facultatis motricis robur, cuius proprium est corpus mouere, & in loco continere.

*Difficilius autem est cubare in latus, quã supinum. Supinum verò cubare manibus, ceruice, & cruribus extensis, minùs bonum est: nisi quis sic cubare consueuerit:* significatur enim facultatis motricis debilitas.

*Quod si procliuis ad pedes de lecto delabatur grauius est*, propter facultatis motricis prostrationem.

*Grauitas totius corporis, manuum, & pedum mala est. Si verò ad grauitatem liuidi accedãt digiti, & vngues, in propinquo mors est.* Quo enim plures facultates in vitio sunt, eo res ægri peiore sunt loco. Atqui grauitas totius corporis significat motricis facultatis læsionem, proindeque

animalis facultatis. Liuiditas autem extremitatum, mortificationem caloris natiui, atque propterea naturalis facultatis læsionem magnam. Ergo in proximo mors eſt.

*Si verò habeant manus, ceruicem, & crura inæqualiter diſperſa, ac nuda, malum eſt: inquietationem namque ſignificat, & anxietatem*, quę à maligno febrium more, vtplurimũ proficiſci ſolet, qui eſt perniciosſus.

*Lethale eſt hiantem dormire:* hoc enim oſtendit animalis facultatis langorem, vel cerebri debilitatem, os comprimere non valentis: vel obſtructionem neruorum tertiæ coniugationis. Si verò à conſuetudine pendeat, illud non eſt malum.

*Super ventrem cubare eum, qui non ita dormire conſueuit, dum eſſet ſanus, delirium ſignificat, aut dolorẽ partiũ, quæ circa vẽtrẽ ſunt:* ſiquidem ergo hoc fiat citra dolorem, & conſuetudinem, ſignificat mentis alienationem. Talis enim decubitus prudentem non decet: cogitur autem nonnunquam ita cubare ob dolorem,

quòd

quod talis decubitus sit remedium dolori: aut si non doleat, decentię est oblitus, propter mentis alienationem. Rogandi ergo, num doleant, aut ita cubare consueuerint?

*Velle autem residere vigente morbo, malum est in omni morbo acuto, & potissimùm in peripneumonia.* Est enim significatio aut delirij extra morbos pectorales (quandoquidem id non conuenit, minimeque decet) aut inquietudinis, aut incendij interiorum partium, à quo respiratio difficilis nascitur. Omnia autem hæc mala censentur: quòd significent animalem facultatem plurimùm læsam.

*Stridere dentibus in febribus, quibus à puero consuetum non est, maniam aut mortem significat. Verùm ex vtrisque oportet prædicere periculum futurũ. Quod si etiam delirãti id accidat, valde lethale est:* stridet namque à læsione cerebri magna, nempe ab exsiccatione & incendio, à quo mania nascitur, & aliquãdo mors. Stridor verò dentium motus est conuulsiuus.

*De manuum gesticulatione hoc nosse oportet: Quibuscunque in febribus acutis, vel peripneumonia, vel phrenitide, capitisq; doloribus, manus ante faciem feruntur, vel ægri venantur festucas, & colligunt, id omne malum, & exitiale est.* Nam illa fiunt imaginatione valde læsa, & perturbata, ob magnam læsionem cerebri, qua spiritus perturbantur magnopere. Partis autem principis magna læsio lethalis est, propter facultatem læsam in ea residentem.

*Existimare oporet bonam respirationem valde magnam vim habere ad salutem in omnibus morbis acutis*, signum enim est integræ facultatis motricis. *Non est tamen certa prædictio ex respiratione captanda, nisi laborantis mentem, ac propositum distinxeris:* ex Gal. lib. de difficultate respirationis: *nam si ex composito, & prudenti, audacem responsionem malam dicat Hippocrates: non tamen audacium huminum, neque talem responsionem solùm, sed neque desipientiam ipsam, magnum quidpiam indicare putes. Ita quoque res habet in respiratione: nam delicati, & molles*

*les in omni opere respirabunt inæqualiter, etiam si nihil agant insigne. Laborum verò cupidi, & qui generoso sunt animo, nunquam, nisi deducta ad summam debilitatem virtute, respirationem producent inæqualem.*

*Respiratio frequens dolorem significat aut inflammationem in partibus, quæ supra septum transuersum sunt*: in dolore namque illarum partium non potest esse magna respiratio. Etenim cum magna respiratio faciat magnã distentionem, hæc auget dolorem: quare si defectum magnitudinis velocitate cõpensaret, illud quidem commodum esset, at dolorifica est magna celeritas. Quocirca augetur crebritas qua compensatur defectus magnitudinis, & celeritatis. In inflammatione illarum partium eadem ferè est causa, si cum dolore sit cõiuncta. Ex doloris autem magnitudine, & inflammationis captatur præsagium periculi.

*Frigidus respiratus, ex ore, & naso prodiens, valde lethalis est,* quia significatur extinctio caloris natiui.

In coacis ſcribitur, *Lethalis eſt febrilis, & fuliginoſus ſpiratus, verùm minùs quã frigidus*: demonſtrat namque intus latere incendium, à quo calor natiuus diſſipatur.

*Deſipientiæ cum riſu minùs moleſtæ eſſe ſolent*, quòd ſanguinem dominari patefaciant: illæ verò quæ ſunt cum ſtudio, & ferocitate, malæ: propter atræ bilis exuperantiam, ex aph.53.lib.6.

*Quæ pauco tempore feroces fiunt deſipientiæ in ferinas euadunt. Inſaniæ vehemẽtes, lethales ſunt*, ex Coac. propter magnam, quam referunt, cerebri affectionem, tum quod efficiant vt ægri reſpuant omnis generis pręſidia, ſine quibus vita ſeruari non poteſt.

*Quæ deliria paulatim tranſeunt in temeritatem, firma ſunt, atque cõuulſionem prænunciant*, ex Coac. propter exſiccationem neruorum ab immoderata inflãmatione, exhauſto humido primigenio partium neruoſarum.

*In quo morbo ſomnus delirium ſedat, bonum*: aph.2.lib.2. quæ enim vitijs facultatum remedio ſunt, bona exiſtimari debent:

debent:*in quo autem laborem affert, malum*:aph.1.l.2.quia quod ſperatur vtile,ſi præterquàm quòd nihil prodeſt, etiam noceat,iure exitiale exiſtimandum eſt.

*In compoſito modeſtoq́ homine ferox reſponſio, mala.* prorrh. Gal. in comm. inquit; *Cui enim propriè natura compoſita eſt,is non ſolùm cum incōpoſitus deſipit, perniincioſam ſe habere affectionem demonſtrat: verùm quoque cum ferocitate reſpondens prope ad phrenitidem acceßit. Cui verò contrà, reſponſio in feroci natura compoſita, metus eſt ne incidat in cataphoram, aut lethargum.*

*Mente conſtare, & bene ſe habere ad illa quæ offeruntur,bonum*:illud enim rationis conſtantis indicium eſt:ex aph.33.lib.2. hoc autem facultatis appetentis robur oſtendit.

*Si bonis oblatis cibis æger offendatur, difficilis morbi indicium eſt*: quòd ſignificetur proſtratam omnino eſſe facultatem appetitricem. Omnis autem facultatis proſtratio cuiuſcunq́; ſit,mala eſt.

*Cum rigore non cognoſcere familiares,malum eſt*,ex lib.1.prorrhet.ſent.64.

*Malum*

Malum quoque obliuio à perfrigeratione, cerebri calore prope extincto.

*Faciei color bonus & mæstitia multa, malum*: quòd mœstitia illa multa aduri sãguinem in cerebro significet, qui postquàm in atrã bilem est cõuersus, ferina mouet deliria, quę mala sũt existimãda

*Rigores multi torporem inferentes, maligni sunt*: significant enim perfrigeratum esse corpus vniuersum vehemẽter cuius intemperie cerebrum afficiatur: vnde illius facultates læduntur.



## *De longitudine, & breuitate morborum.*

## CAP. XVII.

OMnes morbi celeres breues solent esse: omnes autem tardi, longi suapte natura sunt: & quò acutiores sunt morbi, eò breuiores.

*Sudores frigidi cum acuta quidem febre nati, mortem denuntiant: cum mitiore verò diuturnitatem morbi ostendunt*, aphoris. 37. lib. 4.

Vbi

*Vbi in vniuerso corpore magnæ mutationes fiunt, ut si totum corpus refrigeretur, & rursus calefiat vicißim, vel color alius ex alio fiat, morbi longitudinem significat*, ex aph. 40. lib. 4. significatur enim oppressio ab humoribus crudis, aut corruptis, ad quos fit frequens caloris innati reciprocatio. Quare successio caloris, & frigoris fit in partibus exterioribus corporis, tum etiam coloris.

Aph. 28. lib. 2. scribitur. *Corpora eorum qui non omnino leuiter febricitant sibi constare, nec minui, vel plusquam ratio postulat contabescere, aut liquefieri, malum: hoc enim virium imbecillitatem, illud morbi diuturnitatem significat.* Febris namq; quia est calor præter naturã dissipat humorem primigenium: vnde totius corporis extenuatio, ad quam sequitur debilitas, quòd calor natiuus vnâ cum humore dissoluatur. Cùm verò corpus non extenuatur ardore febrili, in causa est humorum crassities, atque tenacitas, ex quibus morbi longitudo solet oriri.

Auicenn. l. de crisibus scribit: *Cũ signa critica antecedũt coctionem, viribus robustis perma-*

*permanentibus, neque adſunt mortis indicia, morbus futurus eſt longus*; ſignificatur namque copia humorum crudorum, qua ſtimulata natura cogitur perturbationem criticam, aut ſymptomaticam moliri ante tempus, quę morbo finiendo accommodata non eſt. Quarę cum ſuperſtes ſit morbus, & vires validæ, prorogabitur.

*Item cum criſis nec iuuat, nec multùm nocet, ſi morbus talis remaneat qualis erat antea, morbi longitudo expectatur.*

Paruæ euacuationes, quæ ſignificant naturæ impulſionem debilem, & imperfectam, dummodo ſigna mala non adfuerint, morbi longitudinem demonſtrant.

## *An æger ſit moriturus, an euaſurus.*

## CAP. XVIII.

HOc dignoſcitur, inquit Galenus, l.3.de criſibus, *ex magnitudine morbi, ſpecie illius, more, virium robore, & via longi-*

*lōgitudine*,quæ qualitate motus dignoſcitur. Magnus namq; morbus in ægro debili, qui longo tempore eſt duraturus, lethalis cenſetur:vt paruus in ægro robuſto,qui celeriter ſit finem habiturus,eſt ſalubris.

Quidam morbi ſua ſpecie ſunt lethales:vt apoplexia,peſtis:alij ſalutares, vt febris tertiana ſimplex, & ephemera. Mortis ergo in vniuerſum ſigna erunt virium debilitas, cruditás, malignitas, & morbi magnitudo. Nam debilitas coniuncta cum cruditate longũ oſtendit morbum, Magnitudo autem illius ſignificat naturam eſſe in itinere defecturam: debile enim corpus magnum pondus longo itinere ferre non poteſt. Malignitas verò clam naturam labefactat. Salutis ſigna ſuperioribus contraria, virium robur, coctio, morbi benignitas,& paruitas.

*Quo tempore ſit periturus æger.*

CAP. XIX.

EX victoria morbi ſupra naturã non tantùm mors præuidetur,ſed etiam mortis

mortis tempus. Temporis nomine intelligimus vniuersalia morbi tempora principum scilicet, incrementum, statum, & declinationem: tum partes temporis, vt paroxysmorum partes, & diei. Ex quantitate ergo superationis (vt ita loquar) mortis tempus prædici potest: nam si multùm excedat morbus naturam, in principio æger morietur: quod vt plurimum accidit in febribus inflãmationum partium interiorum, cum subita fit nouæ materiæ ad inflammationem defluxio. Item in morbis malilignis, vt in peste & in quib⁹ natura debilis superatur nimia humorum copia, vt ignis paruus lignorum multitudine. Si paulò minùs, in incremento, quod solet sæpe accidere in principijs febriũ pituitosarum. Pro principio intelligimus ex Auicenna, illud quod est paroxysmi, quod cum aduenit, perfrigeratio longa est, neq; recalescit æger, pulsus eius paruus est, & vermicularis, inciditque in carum. Si adhuc minùs, in statu, vti solet contingere, ex Auicenna, in febre ardente. In declinatione autem

vniuerſali nemo moritur, niſi ægri vitio, aut Medici, quia morbus à natura ſuperatur, quando ad declinationem ventum eſt: niſi hoc contingat, ex Auicenna, in variolis, & morbillis. Aduertendum autem duplicem eſſe declinationem: vnam veram, alteram falsò creditam. Has diſtinguit potiſſimùm pulſus. Nam in vera declinatione, quæ fit robore naturæ, vehementiores ſemper ſunt pulſus, & magis ordinati, & æquales. In falſa verò debiliores, & magis inordinati, & inæquales.

In declinatione verò particulari, hoc eſt, paroxiſmi, plurimi moriũtur, quòd calor innatus expandatur per vniuerſum corpus, cor deſerens. Quam ob cauſam plurimi illorũ ſyncope extinguntur, ſubitò, alij ſenſim. Et vno vt verbo dicam, omnis morbus mortiferus ægrum perimere ſolet eo tempore, in quo maius eſt illius robur, ſupra ægri vires.

*De terminis morborum.*

## CAP. XX.

Finiuntur morbi crisi, aut solutione. Criseos futuræ signa petuntur ex morbi magnitudine, coniuncta cum celeritate, anni tempore, ætate, victus ratione, regione, viriũq; robore. Magni namq; morbi, & celeres, in quibus adest viriũ robur, reliquis cõsentiẽtibus crisi sũt finem habituri, quòd natura à magnis morbis grauiter molestetur: vnde ad excretionem incitatur. Celeres verò morbi vt plurimùm nascũtur ex tenui materia, & calida apta ad expulsionem, nisi in pulmones delabatur: in cuius expectoratione, materiæ mediocris consistentia requiritur. Præterea vires robustæ nituntur expellere quod noxium est, quod expellunt, nisi aliquod impedimentum intercesserit. Quocirca cætera consentiant oportet, vt crisis subsequatur.

Perfectæ crisis signa existunt coctio

in excrementis: significatio in die indice; morbi species salutaris: morbi bonus mos. Coctiones enim crisis securitatem ostendunt.

Præsens verò, & quæ fit crisis perfecta, & bona, iudicatur ex sequentibus signis. Adest in illa excretio materiæ morbificæ, vt si in morbis biliosis biliosa excernantur: in pituitosis, pituitosa. Si euacuatio fiat per locum conueniẽtem, nempe, è directo partis affectæ, aut per quem conuenit, vt in morbis thoracis per expectorationem, neque per partem principem. Omnis namque talis, in eius partis, per quam fit, vel mediocri debilitate, periculo non vacat: si quantitate euacuatio respondeat materiæ excernẽdæ, quia nullum paucum criticum est, si morbi species fuerit accommodata: quam ob causam intelligendum est, quæ excretiones, quibusque morbis conueniant.

Febris ardens finitur vtiliter, sanguinis effluxu, sudore multo, vomitu, excretione biliosorum humorum per aluum.

Tertiana febris vomitu, excrementis alui biliosis, sudoribus toto corpore manantibus.

Phrenitis terminatur salutariter sudore multo, capitis præsertim.

Lethargus, & peripneumonia non amant sanguinis fluxū: inter ipsas pleuritis medium tenet locum, minùs enim quàm febris ardens, & phrenitis: magis autē quàm peripneumonia, & lethargus sanguinis fluxu soluitur.

Lienis, & hepatis inflammationes, solui possunt hæmorrhagia: tum omnes, quæ sunt sub hypocondrijs si è directo fiant: has etiã iuuat sudor bonus.

Hepatis inflammationes si in connexis partibus extiterint, finiuntur salutariter fluxu sanguinis, è nare dextra; bonis sudoribus, & vrinis copiosis potissimùm. Cauarum autem partium excrementis alui biliosis, sudoribus, & vomitibus.

Partes vrinariæ malè affectæ per vrinas expurgantur.

Sudores omnibus febribus conueniunt.

Febres

Febres quotidianæ ſoluuntur vomitibus,& excrementis alui pituitoſis.

Quartanæ atræ bilis excretione ſoluuntur.

Semitertianæ, pituitoſis , & bilioſis excrementis.

Capitis dolores finiuntur parotidibus, id eſt, tumoribus præter naturam, in emunctorijs cerebri natis. Quæ in ſuperioribus morbis ſecus contingunt, criſes malas, & imperfectas oſtendunt.

Criſis prę̨terita,ſi bona extiterit,hęc ſigna habet, Affectus præter naturam ablationem , omnium malorum ſymptomatum ceſſationem , facultatum omnium in ſtatum meliorem reſtitutionem. Si aliquid horum defuerit, tā-tùm ab optima criſi deficit, quanta eſt vis eius quod deficit.

Futurę criſis imperfectæ indicia sūt, ex Auicen. cap. 2. lib. de criſibus,ſi adfuerint ſigna quæ criſin futuram oſtē-dunt aliquo die: vt decimo quarto : & poſtea contingat illa criſis die vndecimo : hæc criſis anticipatio ſignificat illam fore imperfectam:quoniam omnis

bona crisis debet fieri in die significato. Item crisis, quæ excitatur in incremento, imperfecta est.

Crisis imperfectæ ad salutem indicia perhibentur illa quæ ostendunt naturæ aliquam supra morbum victoriã. Ad mortem verò ea quæ significant naturam à morbo superari.

Signa crisis permutationis scribit Auicen. lib. de cris. Si vi morbi, & symptomatis critica moueantur signa specie, id est, similitudine, non re ipsa, ante coctionẽ morbificæ materiæ, significatur crisis permutationis futura. Omnis verò crisis permutationis funesta æstimãda est, quæ fit extra diẽ criticũ, nullis antegressis coctionis signis: nascitur namque à natura irritata materiæ malignitate, aut copia: quibus cogitur ante tempus in ægri perniciem expulsionem moliri. Illa autem laudabilis censeri debet quæ fit ad partes externas, vel saltem ad illas quæ longè à principibus dissitæ sunt, idque post signa coctionis edita. Iudicatur enim satis firmum robur virium, quo potuit coqui

mate-

materia, & longè à partibus præcipuis expelli.

Solutio, eſt materiæ morbificæ, aut virium naturæ diſſipatio facta, citra euidẽntem excretionem. Diſſipatio virium dignoſcitur ſignis victoriæ morbi ſupra naturam, quæ explicata ſunt. Solutio laudabilis contingit in paruis morbis ex Gal.cap.3.lib.3.criſ. Auic.c.2. de criſib⁹, ſcribit ſolutione fieri in morbis longis, & frigida materia conſtantibus, cum ſigna terrifica non pręceſſerunt, neque motus praui. Nam cum illa præcedunt, ſolent criſes commouere, aut excretionis, aut permutationis bonas, vel malas. Si verò nulla talia anteceſſerint, Auicennas cenſet materiam illam ſenſim diſcuti, quod licet habeat aliquam ſimilitudinem veri, tamen experientia comperimus, illã materiam, vt plurimum vrinis, aut alui fluxu expelli; aut in abſceſſum commutari.

*De tempore Criſeos.*

CAP. XXI.

TEmporis nomine intelligere possumus,aut tempus vniuersale morbi, quo pacto omnis crisis perfecta fit in statu:aut diem in quo crisis fit:aut temporis differentiam , vt cum crisin citò aut tardè futuram dicimus.

Status futuri cognitio iam ante declarata est. Citò autem,aut tardè futuram crisin ex ijsdem cognoscimus signis,ex quibus citò,aut tardè futurum statum conijcimus.

Quo autem die crisis fiat, aut futura sit,ex motu morbi,& sequentibus perspicitur. Primò si febris fuerit synoch⁹, idest, continens, nullusq; acciderit error, spectanda est crisis quarto die. Si verò fuerit continua,oportet illius magnitudinem inspicere,& motũ : nam si febris fuerit magna, & velociter moueatur,crisis fiet tertio die.si verò nõ sit valde magna, neque moueatur celeriter, quinto die. Decimo verò quarto die,si hæc vndecimo die coniuncta reperiantur, videlicet motus velocitas, febris satis magna, & manifestum coctionis indicium:quæ si nõ aparuerint, lon-

longiùs progredietur morbus.

Quando nox præcedens eſt moleſta, atq; poſt ipſam acceſſio citiùs inuaſerit, cũ quibuſdam inſolitis accidẽtibus, neceſſe eſt in eadẽ acceſſione criſin fieri. Ægri verò moriũtur in grauiori, & moleſtiori tempore ipſius acceſſionis.



## *DE MODO CRISEOS.*

## CAP. XXII.

MOdus Criſis eſt diuerſus: nã alia ſine rigore inuadit: alia fit vomitu, alia ſudoribus, & alijs pluribus modis. Rigoris futuri ſigna perhibentur, ſi præter rationem, ideſt, abſque vlla occaſione, aluus ſupprimatur, aut vrina, vel vtraque ſimul, tunc propè criſi exiſtente rigorem ſpectare oportet. Nam ex Hipp. lib. 6. epid. ***Ante rigorem vrinarum retentiones ſi ex commodis proceſſerint conſiderandæ, atq; ſi vẽter percurrerit*** (nam ſi aluus flueret prẹriperetur purgatione alui, rigoris futuri cauſa). ***Et ſi ſomni adfuerint*** (nẽpe obſcurum in caput delatũ)

*consideranda & species febris* (an sit ex ardentioribus) *vel fortè quæ ex lassitudinibus contingit*, ijs verò rigor magis accidet, si exquisita sit febris incendens. Nã quod incendit biliosum est. Atqui biliosus humor cum violenter mouetur, & pungit partes sensibiles, rigorem excitat.

Signa futuri vomitus sunt oris ventriculi mordicatio vnà cum dolore capitis: vertigines obortæ à vaporibus: agitatio labri inferioris: magnus defluxus tenuis sputi.

Profluuij sanguinis per nares signa existunt fulgores aparentes in oculis, quoniam humor est rubicundus: obtusiones, quia humor in capite, & circa caput est multus, claudens meatus: pręcordiorum tensio sine dolore, propter sanguinem ascendentem ad eas partes: his adiungẽda sunt ætas iuuenelis, vernum tempus; tùm faciei saturatus rubor: & venarum intumescentia, quæ circa faciem, & potissimùm circa oculos fit.

Excretionum alui signa potissimùm per

per negationem colliguntur. Nam ſi non adfuerint ſigna vomitus, neq, ſudoris, aut ſanguinis effluxus vel vrinæ, ventris eſt fluxus expectandus. Tamen Aph.73.lib. 4. ſignum colligitur poſitiuum cùm inquit Hipp.*quibus hypochondria ſuſpenſa murmurant, lumborum dolore ſuperueniente, his alui humectantur, niſi flatus erumpant, aut vrinarum multitudo.*

Obeſi vt plurimùm alui fluxu ſolent terminum morborũ, quibus affliguntur, conſequi, propter materiæ craſſioris copiam.

Sudor futurus præuidetur, ſi ſigna vomitus non adfuerint: vrina, aluuſq; ſuppreſſa fuerint: magiſque ſi ægrotãtes delirauerint, increſcẽte acceſſione, & partes corporis calidiores, rubicundioreſque extiterint, & vapor quidam calidus exierit è corpore, qui priùs non aderat. Quòd ſi præterea pulſus fuerit vndoſus, & altus, magis etiam ſudores oportet expectare.

His modis criſeos poteſt alius addi, qui fit per fluxum ſanguinis diſſentericum, vt adnimaduertimus ſępe cum bonis

bonis ægri rebus, posse autem id fieri probatur: Nã sæpe excitatur crisis per fluxum sanguinis narium;sed commodiùs est id per intestina fieri, quàm per nares; duplici ratione; prima est, quia nimirum sanguis sit grauis,& Iecur fõs sanguinis illis proximum : tamen frequentius est per nares in morbis biliosis, quòd leuitate bilis, sanguis feratur sursum.In melancholicis verò vt plurimum fit per intestina:hãc excretionem dysentericam indicauit Hipp.Aph.47. lib.4.cùm scribit, *excretiones liuidas, fœtidas,& cruentas si bene exeant, bonas esse: contra verò,malas*. Idem in coăcis *quibus dolores hypochõdrÿ,oris ventriculi, hepatis, & earum partium, quæ circa vmbilicum sunt, excreto sanguine per aluum, seruantur: non excreto,pereunt*, & eodem libro *pulsationes capitis, & aurium soni, sanguinem è naribus profundunt,& mulieri menstrua deducunt,multo magis, si in spina ardor consequitur, fortasse,& dysenterica profluuia commouentur*, & ego expertus sum in Domino d'Esparron, qui cum febre continua sexaginta dierum fuisset

ſet afflictatus dyſenterico fluxu critico ea liberatus eſt, & ſanitati priſtinæ reſtitutus:tum in mercatore Maſſilienſi de hortis obſeruaui,& in alijs quã plurimis: ex quibus ſic colligimus: Si excretione dyſenterica in affectibus ſupradictis quidã ſeruatur,oportet illã excretionẽ criticã eſſe: nulla enim excretio ſymptomatica poteſt remedio eſſe.

Abceſſus morbis ſuperueniẽs eſt modus criſeos permutationis. Signa illius ex Gal.c.11.l.3.de criſib.ſunt aut propria, aut cõmunia. Cõmunia quidẽ omniũ ſunt indicia: ſi ſalutariter habeat æger, neq; morbus ſoluitur, neq; vrina multa,multã habens ſubſidentiam, ſed tenuis, & cruda appareat,propter priuationẽ ſubſidẽtiæ,aut hypoſtaſeos:oportet enim ægrũ ſalutariter ſe habere: nã ad materiæ expulſionem,ſeu permutationẽ op⁹eſt robore naturę:ſi autẽ morb⁹ ſoluatur sẽſim,aut ſi vrina craſſa multã habẽs hypoſtaſin excernatur, nullus abceſſus expectãdus eſt. *Nã vrina multa craſſa,& alba,liberat ab abceſſu*, ex Hipp. aph.74.l.4, propria verò à Gal. ratione

loci

loci possunt diuidi in communia loci, & propria: commune illud est, ex Hipp. aph. 32. l 4. *quibus conualescentibus, è morbis pars aliqua laborat, vel laßitudinem sẽtit, ibi abscessus fiunt, & futuri sunt.* Est nãque signum materiæ iam incipientis delabi in illam partem. Propria verò loci hæc describuntur à Gal. cap. 1. lib. 3. cri. *vbi morbus non fuerit valde diuturnus, si subita respirationis difficultas ægroto superuenerit, & mox quiescat, eamq́; capitis grauitas, & dolor sequatur, & grauis somnus à repletione cerebri, aut surditas, hinc in glandibus post aures necesse est abscessum fieri, si verò morbus iamdiu perseuerauerit, atq́; nullum ex ijs signum adfuerit, sed in aliquo ex locis inferioribus vel grauitas, vel tẽsio, vel ardor, vel dolor appareat, hinc abscessus ad partes inferiores expectandus.* Requiritur in abscessu futuro ad partes superiores, ne morbus sit valde diuturn⁹, sed breuis, & acutus, quia tales fiunt vt plurimũ à materia calida apta in sublime efferri. In abscessibus partiũ inferiorũ requiritur morbi diuturnitas, hi nãq; magna ex parte solent nasci, ex mate-

ria

ria frigida, & crassa, magna ex parte quæ suapte natura deorsum tendere solet.

Permutatio nonnunquam fit in alia symptomata, quàm abscessus, vt in dolores partium, in conuulsiones, & alia multa. Conuulsionis futuræ signa describuntur ab Hipp. sent. 34. lib. 3. progn. *pueris conuulsiones accidunt, si febris acuta fuerit, nec aluus deiecerit, ac vigilent, paueant, lugeant, colorem mutent, viridem, aut liuidum, aut rubicūdum trahant: hæc igitur nuperrimè editis pueris accidunt ad septimum vsque annum: prouectioribus autem,* ex Gal. in sententiam illius commentarij, *hæc signa indicabunt cōuulsionem futuram quæ maximè per phrenitides difficiliores existunt: sed potissimum si partes in vultu peruertantur, aut dentes strideant præter consuetudinem: aut oculi crebrò moueantur, aut peruertantur:* quibus Auic. addit dentium pruritum

Idem autor lib. de crisib. scribit *prægnantes sæpe per abortum crisim pati.* Verum abortus crisis dici non potest: nam in crisi, materia morbifica excernitur,

& ex-

& pellitur ad partem aliquam corporis. At fœtus, qui abortu expellitur non est materia morbifica: ergo crisis per illum abortum fieri non potest. Ad hæc fœtus illa expulsio non est critica, sed potius symptomatica.

Præter hos modos anno 1598. Autumno post febres duplices tertianas obseruaui in religioso quodam viro, & in quodam Coriario Aquensi fluxum materiæ pituitosæ per os, vt solet excitari in ijs qui hydrargiri litu solent curari: hunc fluxum antecesserunt dolores capitis, tumor partium illius, inflãmatio partium oris inferiorum: tãdem subsequutus est fluxus materiæ albæ viscidæ corrodẽtis partes internas oris, superauit ille fluxus spatiũ quindecim dierum, & eo pacto curati fuerunt.



## *De futuris recidiuis.*

## CAP. XXIII.

FVturæ recidiuæ signa sunt ea quæ materiam morbificam relictam esse

in

in corpore, significăt. *Nam quæ relinquuntur post morbos*, ex Hip. *recidiuas facere solent*: Ciborum satis larga quantitas sumpta sine fructu ex aph. 8. lib. 2. *Si à morbo cibum assumens*, inquit, *corpus non proficiat, malum*, quia expectatur recidiua futura.

Materiæ autem præter naturam relictæ signa sunt, æstus, corporis pondus, ipsius inquietudo, & sitis.

Sunt, & alia futuræ recidiuæ signa, nempe si nondũ maturatæ materię fiat excretio, siue abcessus. Si diebus non criticis excretio, aut abcessus commoueatur. Præterea ex Gal. cap. 10. lib. primi de diebus decretorijs, *qui morbi cessant sine copiosa excretione, aut abcessu insigni, in ijs recidiua metuenda est*, si oris flatus præter consuetudinem malè oleat.

Coniectura etiam capitur ex specie morbi. Sunt enim quædam febres natæ ex viscidis, & crassis humoribus, quæ solent reuerti. Quicunque morbus sine bonis signis subitò cessat, ferè semper reuertitur.

Autumnus recidiuis est accommo-

datus, de quibus cum acciderint ita prædicendum est: Quælibet recidiua eò tutior est, quò leuiores fuerit subsequuta causas, habueritq; mitiora symptomata. Omniũ autem tutissima est, quæ deprauatam victus cõsuetudinem agnoscit,& quo citiùs morbus reuertitur, & quò vires infirmiores sunt, eò ægri peiore sunt loco.



LI-



LIBER TERTIVS.

# DE METHODO curandi morbos.

## PARS PRIMA.

### De indicatione in genere.

### CAP. I.

SVPERIORA pertinebant ad ea cognoſcenda, quæ in morbis reperiuntur: tum ad illa prædicenda, quæ in morbis contingunt. Nunc dicendum de curatione, quę deſcribi poteſt, Commoda remediorum adminiſtratio ad curandum. Hæc conſiſtit in rebus non naturalibus adminiſtrandis aëre, potu, cibo, & cæteris eiuſdem generis, Pharmacia, & Chirurgia. Commoda verò adminiſtratio dicitur, quæ fit per indicationes methodo diſpoſitas: quæ methodus pendet ex qui-

busdam regulis, secundum quas ordo in remedijs instituitur: de quibus postea agemus.

Indicata quæ deducuntur per indicationes ab indicantibus, sunt gradus ordinis, & methodi. Indicatio ex Gal. cap.7.lib.2.meth.medendi,dicitur Demonstratio, siue insinuatio rei agendæ. Indicatione verò inuenire, est ab ipsa rei natura ordiri, atq; ab ipso quod sequens est, citra experientiam inuenire per rationem,& indicationem. Indicãtia verò sunt veluti loci,ex quibus eruuntur argumenta. Indicata sunt intentiones siue scopi. Atq; vt locorum perhibentur axiomata quædam, ita indicantium sunt regulæ quædam generales:quales feruntur præcipuæ, Contrariorum contraria sunt remedia. & Naturalia similibus conseruanda sunt.

Scopi in medendo fines sunt peculiares ex cap.3.lib.3 method.medend. Generalis autem scopus est sanitatis restitutio,aut conseruatio: atque vt fines in vniuersum medijs quibusdam acquiruntur: ita Medicorum scopi & intentiones

tiones remedijs, quæ media quædam ſunt, ad illos acquirendos, ex cap. 7. li. 2. Remedium verò appellatur quidquid commodè applicatur corpori ad ſanãdum, ſiue illud fuerit medicamentum, vel res non naturalis, aut operatio chirurgica.

Progrediuntur ergo hoc modo Medici, vt ab indicantibus per indicationes deducant ſcopos, fines, & intentiones. Quibus inuentis, & poſitis retrocedant ad media: vt morbus calidus indicat refrigerãtia, dictante norma: Cõtraria contrarijs curari. Quocirca remedia refrigerantia ſunt quærenda. In quo; adnimaduertendum eſt remedij genus, ſiue intentionem à præcipuè indicantibus trahi. Modum autem ipſius remedij, ab alijs quæ indicantia præcipuè comitãtur. Conſiſtit autem is modus in eius quantitate, conſiſtentia, forma, exhibendi modo, & agendi. Intelligendum eſt itaque indicantia in vniuerſum eſſe res naturales, nõ naturales, & præter naturam. Præterea præcipuè indicantia in illis dici, quę indicant cõ-

trariorum appositionem aut similium. Cætera minùs præcipuè indicare dicũtur, quæ à quibusdam coïndicantia dicuntur, qualia sunt morbi magnitudo, partis affectæ substantia, consistentia, sensus partis, & cætera id genus.

Scopo per indicationes constituto inueniuntur remedia pluribus modis: alia namq; sensu, vt glacies frigida iudicatur tactu: & alia omnia quæ actu talia sunt, qualia esse dicuntur. Alia rationis discursu, quæ talia potestate esse dicuntur, vt piper calidum, pyrhetrum, nux moscata: in quibus, ex qualitatibus sensu perceptis, colligimus eorum facultatem, vt piper calidum potestate esse dicitur, quod sit acre: rhabarbarũ quia amarum, & omnia amara sunt calida: quæ talia sunt supra mediocrem gradum caloris. Aut nostra, vel maiorũ experientia: qualia sunt quæ potestate occulta possunt operari, vt sene, rhabarbarum, turbith. His modis potest addi fortuna, vt ex illa historia potest intelligi, quę legitur apud Gal. lib. quos quando, & quomodo, vel quibus pur-

gare

gare oportet,de rustico illo, qui nactus erat herbam sugentem sanguinem,qua postea est abusus in trucidãdo inimico.

Præcipuæ indicationes ducuntur à morbi causa,& à partis affectæ natura; quorum illud per contraria abigi postulat: hoc verò per similia conseruari exigit.

Symptoma, etsi res sit contra naturam,propriè tamen non indicat,quia quod per se curationem non postulat, propriè non indicat. At symptoma curatur ad curationem causę morbi.Ergo non primò,& per se symptoma indicat, licet per accidens curationem ad se cõuertat, cùm scilicet magis vrget, id est quando maius periculum infert quàm causa morbi. Causa ergo morbi curationem per contrarium moliendã esse significat, licet non rarò per accidens similia similibus curentur, vt Tetanus in iuuene carnoso,& bene habito,affusione aquæ frigidæ curatur.

Causæ procatarcticæ non indicant, non tãtùm in futuris morbis,sed etiam in præsentibus. Causa verò coniuncta

præcipuè indicat.

Alia præcipua indicatio ſumitur à temperamento partis,vel totius corporis, quod indicat ſui conſeruationem per ſimilia,etiam ſi temperamentũ deflectat à naturali conſtitutione. Vitioſum namque temperamentum, tanquàm rem conſuetam, iubet conſeruare Gal.lib.11.meth.medendi.Pręter primariam indicationem poteſt etiam temperamentum modum remedij in quantitate demõſtrare:temperies enim iuncta cum morbo, aut cauſa morbi, contrarietatis menſuram præfinire poteſt.Nam morbus calidus in temperamento frigido, non æquè remedia frigida poſtulat atque in temperamento calido:& ita in cæteris temperamentorum generibus obſeruãdum eſt. Notãda illa ſententia Hipp.6.epidemio. *Sũma curationis ex naturæ ægrotantis à prima generatione notitia pendet.*Naturę nomine intelligit temperamentum.

Nunc dicamus de alijs quæ minùs præcipuè indicare, ſiue coïndicare dicuntur,à quibus ſumitur modus remedij.

dij. Annexa morbo sunt, morbi magnitudo, mos morbi, motus, & tempora. Magnitudo magnitudinem remedij indicat, quod intellexit Hipp. aph. 6. lib. 1. *extremis morbis extrema debentur remedia.* Malignitas indicat alexiteriam remedij qualitatem. Motus morbi indicat victum tenüem, aut plenum. Morbi tempora modum victus in quantitate, de quibus fusiùs sequenti cap.

Partem affectam comitantur conformatio, situs, præstantia, sensus, consistẽtia illius. Conformatio indicat mensuram quantitatis remedij, & euacuandi modum: *partes namq. omnes, quæ neutra ex parte cauitates habẽt, quibus superfluam fluxionem excipiant, vehementer sunt exsiccandæ, etsi natura vehemẽter fuerint siccæ, quales sunt nerui, artuũ præsertim. Quæ verò tã extra quã intra se nõnihil fluxionis excipere possunt, vt sunt omnia ferè viscera, vehemẽter siccantibus nõ egent, præsertim si fungosa eorũ caro sit, qualis est pulmonis, qui etiã infrà se latas arterias habet, & extrà se pectoris capacitatẽ. Quæ ergò rara sunt, vt*

*pulmo facile, nisi aliud impediat, quæ verò densa, vt renes, & iecur, ægrè foras humorem fundunt: atq; vbi coierint partis raritas, & vtrinq; spacia, quæ recipere poßint humorem influentem, leuiter exsiccantibus vtendum. Vbi verò neutra parte sunt spatia, & partis dura densáque est substantia, vt in neruo, vehemẽter exsiccantibus est opus. quod si alterutrum tantùm est opus, mediocriter exsiccandum.* Ex quorum exemplo de cæteris est iudicandum.

In euacuando formatio, siue figura partis coïndicat siue indicat modum euacuationis, nam vẽtriculus vomitu, ob conformationem: intestina deiectione: pulmo excretione, caput emunctionibus, apophlegmatismis siue masticatoriis tantùm euacuari postulat: atque eodem pacto de cæteris censendum.

Situs partis affectæ indicant vim & quantitatem remedij. Nam si pars sit superficialis, non est opus tanta calefactione, quanta, dum profunda. *Id enim quod per multa corporis intermedia membra transiens, ad locum affectum peruenturum*

*rum est, vires robustas habeat oportet*: neq; tantùm id intelligendum, de remediis quæ extrinsecus applicantur, sed & de internis. Nam quæ ad pulmones mittuntur, nisi lambendo in illos decidant, maiore robore egent, quàm quæ ad iecur: quò d iter sit longius.

Situs partis consideratio maximè cōfert ad reuulsionem, & deriuationem. Nam reuulsio fit ad partem cōtrariam & longinquam, & consentiētem recto tramite, nō mathematico, sed naturali nimirum secundùm fibras, & filamenta venarum. Deriuatio verò per proximā, & consentientem partem debet fieri. Indicat ergo situs partis qua parte sit euacuandum.

Partis etiam præstantia, aut nobilitas indicat remedij quantitatem. Nam si pars præstans, & ignobilis, eadem magnitudine morbi detineatur, etsi morbi eadem magnitudo, eamdem remedij magnitudinem requirat in vtrisq;, ratione tamen præstantiæ partis affectæ ad vitæ conseruationem fabricatæ, mitiora semper sunt adhibenda remedia,

quæ

quæ etiam corroborandi quadam facultate ſint prædita. *Perpetuum namq; eſt in curatione partium principum, & earum quæ à communi munere officiales dicuntur, vt corroborantia vſurpentur medicamenta, vi aſtrictoria prædita.* Priuatis autẽ partibus,&ignobilibus,non eſt adhibenda tanta corroboratio, quòd publico officio non ſeruiant.

A conſiſtentia etiam partis ducitur indicatio.Nam ſi pars affecta ſit maximè dura, medicamenta vehementiora poſſunt adhiberi. Molior verò mitiora medicamenta poſtulat.

Natura etiam partis peculiaris indicat. Ob id enim cũ medicamentis miſcemus ea, quæ à proprietate, & ſimilitudine naturę habẽt vim ducendi medicamentum ad locum affectũ, qualia ſunt cephalica,iecoralia,& alia.

Si pars eſt calida, & humida, quòd ſit maximè obnoxia putredini, indicatur medicamentũ putredini reſiſtens.

Senſus acutus,aut hebes partis ſuam inuehit indicationem; Nam ex Gal.ad Glauc. & capite 7. lib.4.meth.med.quę inſi-

insigniter sentiunt, acria medicamenta non ferunt, nec humores acres, vt stomachus,&oculi. Partes verò quę hebetioris sunt sensus, mordicantia medicamenta ferunt facilè.

A viribus ægri sumpta indicatio curationem non monstrat ex Gal. 9. meth. medendi cap. 13. *Cum ex numero curatricium non sit indicationũ sed, vt sic dicã, vitalium. Nam neq; vt valemus, neque vt à morbo liberemur, ab illis quicquam primùm desumimus, sed vt viuamus. Quamuis ex accidenti interdùm virtutis robur ad affectus curationem cõducat: atque adeò sæpe est necessarium, vt quæ circa ægrum administrantur, omnia fermè eius vnius causa fiant.* Indicant autem semper vires sui custodiam, sine qua vita permanere nõ potest. Conseruãtur verò similibus iuuantibus,& corroborantibus.


Ab aëre ambiente desumitur indicatio: siquidem morbo faueat, medicamẽti cõtrarij maiorẽ quantitatẽ exhibendã suadet: si cõtrarietur, minorem. Atq; præsertim in sanguine mittendo est habenda ratio aëris: Nã vrgẽte calore,

lore,cum dissipentur vires, parua quantitate detrahendus est: frigore verò vigente, maiore. Nomine autem Aëris intelligimus ea omnia quę diuersis Aëris qualitatibus prædita sunt, nimirum locum habitationis, regionem, anni tēpus, cœli statum.

Aetas, & consuetudo, tum natura peculiaris, indicant sui cōseruationem per similia, & reuocantur ad temperamentum: de consuetudine autem ita Hipp. part.8. lib.6. epid. *expēdendum qualis dum bene valemus consuetudo sit in victu, tegumentis, laboribus, somno, venereis & mente*, quibus aliquid indulgēdum esse intelligi pot est, ex aph.17. lib.1.

Contraindicantia sunt quæ contraindicāt aut cōtrario modo, ex 13. meth. med. Vt morbus omnis, & eius causa sui remotionem & ablationem à corpore indicant. At si vires fuerint debiles, quæ insignem euacuationem ferre non possunt, cōtra indicant. Vel si causa morbi indicet sui ablationem: & vires sui conseruationem. Verum exemplum contraindicantium fingi potest hoc

hoc modo, Si iecur phlegmone laboret sitque in statu phlegmone, certum est ei deberi discutientia medicamenta; Verũ partis ipsius natura cùm sit princeps, roborantibus indiget, quæ astringentia sunt. Atqui astringere, & resoluere contraria sunt. Ergo in hoc affectu erunt verè contraindicantia.



*De curatione, per victus rationem.*

## CAP. II.

Victus ratio est, Commoda rerum non naturalium administratio ad sanitatem conseruandam, aut ad morbum curandum. Quæ ratio victus licet videatur tãtùm cibi, & potus commodam exhibitionem significare, tamen à Medicis vsurpatur pro administratione sex rerum non naturalium. Ea duplex est, vna sanorum, quæ vocatur ratio tuendæ sanitatis. Altera ægrorum, quę dicitur curatio per res nõ naturales procurata: quæ Pharmaciæ, & Chirurgiæ in

in multis præfertur. Nam Chirurgia nõ vtimur nisi in summa necessitate: Pharmacia verò nisi turgente materia, aut cocta, ex Hipp. 1. apho. 22. At victus ratione in omnibus vtendum est semper. Præterea reliquę partes, sine hac inutiles sunt. Hæc autem sola persæpe morbos sanare potest. Ergo potior cæteris his rationibus debet existimari. Res verò non naturales sunt, vt diximus suo capite, aër, cibus, potus, somnus, vigilia, motus, quies, animi pathemata, inanitio, & repletio seu suppressio excrementorum. Et quoniam in earum rerũ, & medicamentorum administratione sæpe mutationes fiunt, de mutatione in illis facta, tanquàm de generali re, & notatu digna, hoc loco nobis est agẽdũ

Omnis mutatio repentina, vitanda. Neque tantùm hoc cauendum, sed etiã apprimè videndum, inquit Hipp. lib. de humoribus, *ex quibus in quæ mutationes fiant.* Nam eodẽ lib. & 1. lib. aph. 3. *mutationes potissimùm morbos pariunt, præcipuè autem maximæ, & in temporibus magnæ mutationes caloris, & frigoris.* At argumen-

gumentãdo à contrarijs in l. de humoribus, subdit *quædã sensim progressum faciunt, atque huiusmodi tempora sunt securissima, sic etiam diæta & frigus, & calor maximè progressu sensim facto.* Et vt confirmet exemplo naturalis progressus, subdit, *itemque ætates ita commutantur,* scilicet lẽto gradu, nõ violentia. Et aph. 51. l. 2. *plurimum, & repẽte vacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, vel quouis alio modo corpus mouere, periculosũ,* quoniã *omne nimium naturæ inimicum est: sed quod paulatim fit, tutum.* Ergo mutationes repentinæ, & magnę malæ sũt, non tantùm in sanis, sed etiam in ægris.

Quantùm autem sit formidanda repentina mutatio in victus ratione quilibet cognoscere potest ex Philonis filię historia lib. 1. epid. descripta: *Cui cum copiosa sanguinis è naribus accidisset eruptio, qua sanari debuisset, vt alij seruati erant, quibus eo statu aliqua excretio contigisset, quia tamen intempestiuius cœnauit septimo die obijt.* Mutatio autem fit (vt ait Gal. in illo comm. de humoribus) in quatuor rebus, vt pote *in admotis, in eductis, in his*

*quæ fiunt, & extrinsecus incidunt*. Quę admouentur, sunt potus, cibi, & medicamenta, quæ vorantur: itemque aër, quē respiratione ducimus. Ea quæ fiūt sunt fictiones, deambulationes, gestationes, equitationes, & omnes motus. Quæ extrinsecus accidunt sunt balnea, vnctiones, & alia remedia extrinseca, vt cataplasmata, emplastra, fomenta, & cætera similia. Educuntur autem aut excrementa, aut corporis aliqua substantia. In his omnibus mutatio repentina, & violenta pessima est.

In aëre considerantur substantia, qualitas, & consistentia. Tota aëris administratio in morbis, vt reliquarum rerum non naturalium, hac communi regula indicationum nititur, Contrariorum contraria sunt remedia. Quare aër debet eligi contrarius morbo, vt si quis calido afficiatur morbo, quærēdus est aër frigidus; qui si talis natura non extiterit, arte est præparandus, vt pote aqua, rosis, floribus, herbis frigidis, & alijs similib⁹. In affectu frigido est quærendus aër calidus aut natura, aut arte,

vt-pote igne luculento,suffumigijs, & aromatibus.

Aër ratione substantiæ dicitur putridus,infectus, qui omnino fugiendus est. Aëris consistētia tenuis est,vel crassa. Eligendus est in consistentia,affectui contrarius:vt si affectus à crassis humoribus proficiscatur, æger erit collocandus in tenui aëre. Si verò ex tenuibus, aër quodammodo crassus proderit.

Somnus semper humectat, aliquando calefacit, cùm pituitosos humores coquēdo,& in sanguinem laudabilem vertēdo, auget insitum calorem. Refrigerat etiam extinguendo calorem febrilem,vt probari potest ex 2.aph.lib.2. *vbi somnus deliriū sedat,bonum.* Quare si coquendi sunt humores,& ardor febrilis extinguendus, somnus est cōciliandus.

Gal.cō.in aph.67.l.4. scribit. *in febrib⁹ semper nocere somnum, nisi ratione concoctionis plus afferat vtilitatis, quàm damni, quod ex motu ad interiora proficiscitur.* Vt febricitans debilis, cui dati sunt cibi, dormire debet. Nam maius emolumē-

tum ex coctione quæ fit per somnum, consequitur ad vires restaurãdas, quàm sit detrimentum, quod sequitur ex fluxu humorum morbificorum ad partes internas. Maius autem bonum semper est anteponendum minori.

Dum inflammantur internæ partes somnus non est permittendus, quia in somno confluunt humores morbifici ad viscera, & ideo augentur inflammationes. Idque præcipuè est intelligẽdum cùm fluxiones fiunt. Nam postquam fluxio facta est, somnus iuuat coctionẽ, & vires restaurat. Præterea quãdo materia venenosa, & maligna fertur ad partes internas somnus est prohibendus vt in peste. Ob eãdem rationẽ in principio & ante principiũ accessionis sõnus nocet. Qui verò sõnus capitur in alijs accessionum temporibus, vt plurimùm est vtilis, & maximè in declinatione. Dùm verò somni nocent, minùs sunt exitiales in statu, & incremento, quàm in principio. Cùm verò nocent in declinatione, sunt perniciosissimi: quia quo tempore aliquid censetur

ſetur vtile,ſi præterquam quod non iuuat,etiam noceat, iure exitiale, & perniciosum existimari debet. Cognoſcitur autem nocumentum, quando laborem affert: nam ex aph. 1. lib.2.*Somnus qui laborem affert,malus atq; lethalis.*

Vigiliç ſiccant,humorem diſſipando, & ſpiritus. Nam vigilando actiones sẽſus, & partium corporis exercentur, quæ indigent ſpiritu,& calore,quorum fit continua diſſipatio. Humores proinde diminuuntur, & ſiccantur: quin etiam corpus refrigerant, quia diſſipãt calorem innatum,& humorem radicalem eius pabulum.

Vigiliæ ijs omnibus conueniunt,quibus ſomnus nocet, vt pote laborantibus alicuius partis internæ inflammatione.Item ijs,qui incipiunt febrire.

*Vigiliæ,& ſomnus vtraq; ſi modum exceſſerint,malum,*ex aph.3. lib.2.

Motus corporis mediocris calefacit, & ſiccat attenuando humores,ſi exceſſerit refrigerat diſſipando ſpiritus, & calorem.

Otium,& quies refrigerant,& hume-

ctant. Nam per quietem generantur multi humores, & cumulantur excrementa, quæ suffocant calorem naturalem. Vnde sequitur refrigeratio, ex Gal. 4.apho. comment. 13. Quare in morbis frigidis, & humidis oportet corpora mouere: in calidis verò quiescendum, ne maior producatur calor.

Animi mores varias producunt affectiones in nostro corpore: lætitia moderata spiritus recreat, calorem natiuũ auget, & eundem ad superficiem corporis extimam reuocat. Quare cum est opus illis effectis, lætitia conciliãda est: quibus autem concilietur ab oratoribus ediscẽdum est. Lætitia nocet in hęmorrhagia, prodest in animi deliquio ad spiritus excitandos. Immoderata lætitia nocet, quia spiritus dissipat, & foras euocat.

Mœstitia contrarios effectus producit. Metus intrò reuocat calorem, & spiritum, & sanguinem, qua de causa timẽtes pallescunt. Quocirca metus fluxui sanguinis confert, reuocando spiritum, & sanguinem intrò.

Victus

Victus ratio potissimùm consistit in alimentis consuetis, vt carnibus, iusculis, ptisana, vino, & alijs. *Eius scopus* (inquit Gal. ad sent. 44. lib. 1. de ratione victus in morbis acutis) *est, tum in sanis, tū in ægris, facultatis vitalis custodia*, præcipuè nempe. Nam alimentorum substātia, nutriendo, corporis reparat vires omnes, & potissimùm vitalem facultatem. Qualitates verò alimentorum variè corpus alterant.

Victus ratio antiquorum ab ea, qua ijs temporibus vtimur, valde diuersa est, ęgrorum obsequio, substantia ciborum, qualitate, & imprudentia assistentium. Nam ægri hoc tempore Medicis malè obsecundant; & mulierculaturum, siue assistentium omne studium est in ægro ingurgitando: putāt enim ægrum vim morbi non posse sufferre, nisi largè, & liberaliter nutriatur. Subinde objcientes Medicis, non posse tam parua iusculorum copia ægros sustentari, qua tamen illos ita onerant vt saltem morbos in longum producant tempus; & non rarò illos ad exitium præcipitent.

Antiqui ægrotis præſcribebant hydromel, oxymel, ptiſanã, cremorẽ ptiſanę. Nos autẽ imperamus iuſcula cum carnibus, aut ſolis, aut adiunctis herbis, ſeminibꝰ, radicibus inſtituto noſtro accõmodatis: aut hordeata, vel lac amigdalarũ, aut panatam, & alia huiuſmodi. Quę victꝰ ratio forsã antiquę nõ cedit.

Primò quòd iam conſtitutum ſit, mutationes magnas periculoſas eſſe. At magna eſt mutatio, è cibis ſolidis, & iuſculis carniũ, in melicratum, oxymel, & ptiſanam. Deinde ſi ex Hipp. in aph. 49. l. 2. *Conſueta exercitia faciliùs ferantur, certè cibi aſſueti minùs moleſti eſſe ſolent, naturæque magis familiares.* Et idem Hipp. in lib. de internis affectionibus ſcribit, *qui ſanitatis tempore parum edere conſueuerunt, ijs etiam per morbos dandus eſt cibus paucus.* Quare nobis ſatius eſt nutrire ægros cibis conſuetis, quàm non conſuetis. Hydromel parum nutrit, incidit, attenuat: quare maximè conuenit in morbis, quibus eſt intentio attenuãdi, & incidendi, vt medicamentum potiùs, quàm vt alimentum.

Iuſculum pulli eſt exigui nutrimen-

ti, cum quo poſſumus adiungere herbas, & radices ſcopo noſtro fauentes. Idemque præſtabimus conſueto cibo, neq; ad nauſeam prouocante cum maiore ægri vtilitate. Neq; ſunt imitandi moroſi Medici, qui ægrotis nihil porrigere ſtudēt, quod ſapiat palato, ōnemq; propè varietatē ciborū auerſantur, Gal. prorſus aduersātes: qui etiam ægris iuſculū album piſcium exhibendum cēſet cap.30.li de alimentis. Fiebat autem ex optimis piſcib⁹ in aqua coctis primùm, deīde additis oleo, anetho, porro, & ſale.

In cibis exhibendis ſpectamus ſubſtantiam, ciborum copiam, qualitatem, tēpus exhibēdi, & numerū exhibitionū quorū omniū vſus præſcribitur ex ijs, quę poſtea dicem⁹. Supponam⁹ interea

Morbos omnes, aut eſſe longos, aut eſſe acutos: item victus rationē triplicem eſſe. Tenuē, plenam & mediam ex Gal. comment. in aphoriſ. 4. lib. 1. Tenuis tres gradus obtinet: eſt enim tenuis ſimpliciter, aut tenuior, aut tenuiſſima. Plena eſt quæ multùm nutrit: tenuis, quę parùm: tenuiſſima quæ

omnino nihil:media quæ mediocriter. Mera inedia est vtendum cùm purgamus,& vires sunt robustæ. Nam cibus impedit medicamenti operationem. Item cum dolor est sedandus,& quando morbus est acutissim⁹,præterquam in malignis morbis,in quibus sæpe cibus est exhibēdus,quo malignitas causę retundatur,& spiritus qui vehementer dissipantur possint reparari.Ad hæc quādo ōnibus salutaribus signis quarto die morbus est finem habiturus.

In accessionibus nihil est dandum, id est, secundum Hollerium,in principio accessionis: sed in incremento, & statu si fuerit necesse:huius autem propositi ratio est, ne naturæ reuocetur à pugna, quam cum morbo committit. Tum quia cibus, à materia morbifica corrūperetur, vnde morbus incremētum reciperet. Quare ante accessionē aut exacerbationem dandus est cibus tantumque spatium est relinquendum, quantùm sufficere videtur ad concoctionem, & distributionem cibi exhibiti:aut expectanda est accessionis declina-

clinatio, ne protrahatur acceſſio. Habenda tamen aſt ratio virium. Nam ſi oris ventriculi adfuerit debilitas, & biliosa eiuſdem diſpoſitio, aut habitudo corporis facilè diſſipabilis ob nimiam raritatem cutis, cum humorum tenuitate,& caliditate coniuuctam,tunc tẽporis cibus poterit omni tempore acceſſionis exhiberi.

*Victus tenuis*, *& exquiſitus in morbis quidem diuturnis,omnino eſt periculoſus*,ex aph.4. lib. 1. quia æger integris viribus tunc cogetur largiore manu cibum capere,cùm minimè eſt opus; minimeq́; decet: nam ciborum largiore vſu, natura reuocabitur à pugna quam cum morbo agreditur,neque poteſt duobus ſuperandis par eſſe. Satiùs ergo eſt in morbis longis pleniore vti cibo. In acutis autem tenuis victus ratio non ſẽper probatur, quòd indicatur ex viribus ægri,ex aph.9.lib.1. Nam ſi languidæ fuerint vires,& morbus acutus pleniori eſt victu vtendum, ſi robuſtæ,tenuiori.

Conſuetudo ægri non eſt negligenda,&

da,& eius natura peculiaris, ex Hipp. & Galeno in aphorif. Sunt enim quidam eius naturæ, qui nisi largiùs nutriantur malè habent, quales sunt voraces, calidæ naturæ, & facilè dissipabilis. *In summa, melius est peccare pleniùs nutriendo, quàm parciùs*, modo nõ excedamus ex ap.5.l.1. quia facilior est mutatio à labore ad quietẽ, quã à quiete ad laborem. Principio ergo ęgri largiùs sũt nutriẽdi

Victus ratio in quantitate etiam, ex distantia & propinquitate status morbi constituitur. Nam si longiùs absit, plenior est victus ratio instituenda: si propinquior, tenuior, ex aph.10. lib. 1. Hoc autem perspicitur ex celeritate, & tarditate motus, de qua dictũ est, & legitur aph.12. lib.1. ex morbi specie, anni tempore, periodorũ proportionis obseruatione, & ex signis epiphœnomenis.

A tempore morbi ducitur indicatio quantitatis alimenti. Inquit enim Hip. initio lib. de victus ratione in morbis acutis, *inter initia neque multam, neq; crassam admodum dare oportet ptisanam, sed quantùm ob cõsuetudinem, & ne multa vasorum*

*sorum fiat inanitio ingerere conuenit*, quod tamẽ videtur repugnare aph.5.li.1. cùm scribit. Hipp. *in tenui victu ægri peccant.* Gal.comm.in locum citatum Hipp.explicat illam sententiam, *quòd à multa & subita tum repletione, tum euacuatione sit semper abstinẽdum*, vt constat ex aph. 50. lib.2. *Omne nimium naturæ inimicum: quod enim paulatim fit tutũ est, tũ alias cùm maxime vbi ab altero ad alterum fit transitus.* Atqui in exhibitione ptisanæ fit mutatio à solidis cibis ad insolidos Ergo rationi consona est Hipp sententia.

Sorbitionis verò quantitatem hoc præfinit modo, *si morbus*, inquit, *fuerit siccior quàm quis existimet*, id est (vt interpretatur. Gal. in comm. illius sententiæ) *si nihil ex partibus male affectis excernatur*, vt ex pectore per sputum: ex iecore, & partibus ventris imi per secessum, & per vrinas: ex capite per mucũ, & saliuam: *non oportet multum dare, sed ante sorbitionem nimirum ptisanam, vel mulsã, vel vinũ. & quod magis congruat propinare cõuenit.* Explicat autẽ exẽplo speciali, propositionẽ vniuersalẽ suo more, hoc

hoc modo.*Si os madefiat,& quæ à pulmone expuuntur sint,qualia esse oportet*, id est cocta, *est necesse augere quantitatem sorbitionis, vt in summa dicatur:nam quæ citiùs,& magis madescunt celeritatis indicationem significant: quæ verò tardiùs,& minùs, tardiorem*, quæ videntur contraria illis quæ iam explicata sunt, vt scilicet cum status breui futurus est,vtamur tenuiori victus ratione; verum id quidem est, cum natura existit robusta ad exequenda ea, quæ salutaria sunt præstanda. Verùm in morbo proposito cum multa excerni debeant, opus est robore naturæ, quod augetur exhibitione maiore alimentorum, habita ratione virium. Adde quòd ptisana expectoratū promoueat. Ergo in siccis morbis, in quibus tantis viribus non est opus,cùm nihil exernatur, proindeque minor sit labor,non est opus tanta quãtitate alimenti: item quòd in omni excretione quædam fiat virium deiectio, quæ est reparanda alimento copiosiore:ex quibus sequitur vt quantò copiosior fuerit expurgatio tantò plus ad iudica-

dicationem vſque dare oporteat.

Ab ætate ſumitur etiam indicatio, ex Hipp.apho. 13. lib. 1. *Nam ſenes crudi faciliùs ieiunium ferunt*, id eſt, tenuem victus rationem, *quam decrepiti, ſecundum eos, qui ætatem degunt conſiſtentem: minùs adoleſcentuli: omnium verò minimè pueri*, propter abundantiam caloris innati, *atque inter illos, qui acriori ingenio ſunt præditi.*

Ab anni tempore ſumitur alia indicatio: *Nam hyeme, & vere, quia ventres ſunt calidiores, pleniore eſt vtendum cibo, quàm æſtate, & autumno.* ex aph.14.lib.1. At Auicennas fen.1.lib.4. ſcribit, ægrotantes hyeme iure, ac meritò parciori cibo alendos eſſe, tùm quia minor ſit eo tempore ſpirituum diſſolutio, ſtipatis poris ob aërem frigidum: tùm etiam quia pituita tunc temporis redundat plurima, quæ vicem ſuppleat cibi. Quô hæc loca cõcilientur ex Rorarij ſentẽtia dicendum eſt, Auicennam non intelligere de quãtitate cibi ſumpta ſimpliciter, ſed minùs dandum eſſe, quòd ſcilicet pauca fiat diſſolutio. Nam cum mul-

multum corpora dissoluuntur æstate, sæpe,& parum exhibendum est: hyeme verò rarò,& multum.

Qualitas cibi,& consistentia petuntur morbo contraria, siue illæ qualitates fuerint primæ, siue secundæ: ob id Hipp.scribit aph.16.lib.1. *Febricitantibus victum humidum conuenire*, qui sit frigidus potestate.

De numero autem exhibitionum ita sensendum est ex Montano comm. in aph.17.li.1.qui iurè Gal.decreta immutauit: vt cuique legenti facilè innotescet. Cum penuria humorū est in corpore, sine vllo morbo, si vires fuerint debiles tunc parum, & sæpe alimētum porrigemus: parum quidem ne suffocentur vires: sæpe verò vt corpus reficiatur. Si verò sit penuria humorū cum affectu præter naturam, duæ simul iunguntur debilitates, nimirum vna ab indigentia, altera ab affectu contra naturam, tunc dandum sæpius & parum.

Sin autem adfuerit excessus humorum, distinguendum est: aut enim excedunt humores boni, aut praui: siquidem

quidem boni fuerint, affectus ille plethora appellatur, in hac parum, & rarò exhibebimus, ne scilicet plethora augeatur, accrescatque metus suffocationis, aut ruptionis alicuius vasis, ex aph. 3. lib. 1. In copia prauorum humorũ victu tenui opus est. Nam ex 2. lib. aph. 9. *impura corpora quantò magis nutries, tantò magis lædes.* Parum ergo dabimus ne cacochymiam augeamus: sæpe tamen, ne debiles vires extinguantur: cũ cacochymia enim nunquam virium robur coniungitur. Prauorum autem humorum excessus varius est: illi namque humores, aut crudi sunt, & phlegmatici: aut adusti. Crudi, aut concoqui possunt, & verti in alimentum: aut non possunt. Si quidem verti possint exiguo est vtendum alimento: parum ergo, & rarò exhibendum. Nam (vt inquit Gal. lib. 4. de sanitate tuenda) *cum humores crudi in corpore fuerint multi, non multùm nutrire oportet.* Si verò humores crudi praui sunt, ita vt extingant calorem, sæpe, & parum, quòd adsit penuria bonorum humorum, & prauorum copia,

quare sæpe dandum: parum autem ne augeatur cacochymia. Si autem fuerint crassi, illis quoque sæpe, & parum dabimus. Nam est debilis calor naturalis, & adest penuria bonorum humorum. Cęterùm cum rectè comparata omnia esse externa deceat, ex Hipp. 1. aph. lib. 1. notanda illius sententia, 6. epidemion descripta, *hæc sunt* (inquit) *in quibus ægris gratificandum est. vt scilicet cibus & potus purè conficiantur, grata etiam sint quæ viderint, & mollia quæ attingunt. Reliqua nō admodum lædant & facile reparabilia sint veluti frigida exhibitio, vbi ea opus fuerit, & alia.*



## *DE PTISANA.*

## CAP. III.

QVoniam in victus ratione præscribenda sermo fit frequens de ptisana, vino, melicrato, oxymelite & aqua, de ijs hoc loco paucis est nobis agendum. Ptisana quæ fit ex hordeo decocto, & decorticato quousque

in

in ſpeciem cuiuſdam chyli tranſmutetur: cui ſi addatur paululum aceti, quo guſtui redatur grata, & ſub tempus eam vorandi tenuis ſalis tantillum, erit tota ptiſana. Antiqui parabant eo modo ptiſanam.

Noſtris verò temporibus coquunt cremorem ptiſanę cum iuſculis carniũ, quæ debẽt eligi inſtituto accommodatæ: ſi namq; quæratur refrigeratio, vnâ cum prohibitione diſſipationis, vt in hecticis, eligantur carnes animalium recentium, pullorum, agnorum, & ſimilium: aut partes animalium tendinoſæ, & neruoſæ, vt pedes. poſſunt admiſceri alia ſcopo accommodata. Quã ob cauſam Gal ad Glauc. addit piper, dum rationem docet curandi tertianam notham. Mellis permixtio non diſplicet illi, ſi viſcidi humores educendi ſint ex pulmonibus, aut ex alijs partibus pectoralibus: hæc vt ſuperior poterit dici tota ptiſana, noſtra multò commodior eſt propter conſuetudinem. Cremor ptiſanæ eſt ſubſtantia quędam tenuior. Tota ptiſana quæ craſſior exiſtit, poſt-

quam hordeum coctum est. Cremor ille percolatur per linteum, aut cũ expressione, aut sine expressione.

Ptisanæ verò effectus sunt ex Hipp. lib. de rat. vict. in morbis acutis. *Ptisana* (inquit) *omnibus condimentis frumentaceis rectè præfertur in morbis acutis. Nam lentor est lauis, continuus, & iucundus, lubricus, & mediocriter humidus & sitim extinguens, & si quid elui oporteat facilè abluit, neque astrictionem habens, neq; turbationem malam, neq; intumescit in aluo, intumuit enim in coctione, quantum intumescere potuit*, ex his facilè possumus conijcere quibus affectibus conueniat.



## *DE VINO.*

## CAP. IV.

HIpp. lib proximè citato scribit, *vinum dulce minùs grauat caput, quàm vinosum, & minùs mentem ferit*, quia illius vapores minùs sunt calidi minorique copia efferuntur, *magis verò deiectiones iuuat, quàm alterum* quòd minùs promoueat

moueat vrinas, *facit autem viſcera nimirum iecur & lienem magna.* Propterea quòd dulcia rapiantur citò ab illis, & diu propter familiaritatem cunctentur in illis, ex quo deducit Hipp. *picrocholis non eſſe conueniens, quia ſiticuloſum eſt in talibus*, namque dulcia facilè cõuertuntur in bilem, *verùm, & flatuoſum eſt ſuperioribus inteſtinis.* Cùm enim crudum rapiatur moreturque in hypochondrijs, in illis partibus generat flatum. *Minus verò vrinas mouet, quàm vinoſum album*, nam dulce album producit ſimiles effectus ſuperioribus deſcriptis, *ſputum autem magis educit, quod dulce eſt, quàm alterum.* Dulcia namque pectoralia ſunt, *at quibus ſiticuloſum eſt*, vt picrocholis, *ijs minùs educit quàm vinoſum*, quia conuertitur in bilem, & calorem pectoris auget, quo exciccantur ſputa, & difficiliùs educuntur.

*Album verò vinoſum ad veſicam magis penetrat, quàm album dulce, & diureticum exiſtens, & præterfluere aptum, ſemper confert*, in talibus morbis.

*Fuluo vino, & nigro auſtero vti in his*

*etiam morbis possumus; si capitis grauitas non adfuerit, neque mentis alienatio, neque sputum sursum efferatur*, quia retinet, *neque vrina supprimatur*; *quia cohibet illam: sed si deiectiones humidiores, & ramentosæ extiterint*, ad austerum vinum facienda mutatio: quia enim astringit, sistit. In diarrhea ergo, & fluxu ventris oportet mutationem facere ex albo, si priùs fuerit exhibitum, ad austerum.

*Hoc insuper intelligere oportet, aquosum vinum supernas partes omnes, & eas quæ circa vesicam sunt minùs lædere*: Verùm quod meracius est, partibus quæ circa intestina sunt magis prodest. Meracius enim partibus frigidis confert: intestina verò talia sunt. Lege de vini qualitate, & quantitate multa præclara apud Gal. lib. 7. method. med. cap. 6.

*De melicrato siue hydromelite, aut aqua mulsa.*

CAP. V.

HIppo. loco citato proximè scribit *melicratum epotum per totum morbum*

*bum in acutis morbis, omnino quidem biliosis, & magna viſcera habentibus, minùs vtile eſſe, quàm alijs, qui huiuſmodi non ſunt* quòd ſcilicet mel in bilioſis conuertatur facilè in bilem: tum etiam in his, qui inflammatione viſcerum laborant proindeq; magna illa habent. *Siticuloſum autem minus eſt, quàm vinum dulce. Mollit enim pulmonem, ſputum educit*, mediocriter attenuando, *tuſſin lenit*: habet enim deterſorium quiddam, quod ſupra mediocritatem facit ſputum viſcidum: deterſorium naque generat viſcidum: detergendo etenim coaceruat partes ſputi & craſſius facit ſputum, vt Gal. ſcribit. *Ciet autem vrinas abũdè mulſa*, penetratione, & inciſione, niſi ex viſceribus aliquid prohibuerit, cùm ſcilicet laborant inflammatione, cuius vi in bilem vertatur, *prouocat bilioſa excrementa*; habet namque vim purgandi à melle.

Mulſa aquoſa ſputum educit magis, pulmonemque mollit: meracior verò ſpumoſa excrementa, & bilioſa.

Coctum verò melicratum, aſpectu

quidem valde pulcrius,quàm crudum: lucidum enim,ac tenue fit. Neque tamen aliquam ei virtutem,quæ crudum melicratum antecellat, attribuere possum:neque enim iucundius est crudo si cõtingat mel bonum esse:debilius quidem nõ nihil est crudo,& stercoris habens minùs,quorum nullo,vt emendetur indiget melicratum.Ferè verò vtẽdum est hoc cocto, si mel sit prauum, aut sordidum,aut nigrum,& non boni odoris.Auferre enim potest coctio prauitatis magnam partem.

Præparatio eius diuersa legitur apud autores : præparatio Medicis consueta est,vt misceatur mel cum aqua copiosa & bulliendo expumetur, quoad expumare desinat. Oribasius admiscet ℔ 1. mellis,cum ℔ 8.aquæ,quæ dilutior appellari potest,si verò mellis plus apponatur meracior erit. Possunt addi multu alia instituto accommodata.

## *DE OXYMELITE.*

## CAP. VI.

OXymel constat melle, aqua, & aceto. Triplex verò dicitur pro di-

uersa horum trium proportione: mediocre accipit duplum mellis, dimidiũ aceti & aquæ quadruplum: dilutũ verò aceti minùs quàm dimidium & aquæ tantundem: meracum denique plus aceti quàm dimidium cum eadem aquæ quãtitate quadrupla. Diuiditur etiam in simplex, & compositũ. Illud ex illis tribus tantùm perficitur, compositũ ex pluribus, vt scylliticũ, helleboratũ & multa alia. Gal. in cõm. Hip. de vict. rat. in morb. acut. præfert oxymel coctũ crudo. Nam aceti vis coctura imminuitur. Loquitur verò Hip. de simplici: hoc modo, *Oxymel sputum educit, & facilem reddit respirationẽ.* Hęc præstat incidẽdo aceti vi, & extergendo mellis facultate: leniendo autẽ dilatandi vi præditũ est, præsertim dilutum.

*Has verò vtẽdi habet opportunitates. Quod valde acre est, nihil mediocriter molitur*, id est, perpetuò aliquid magnum, aut malum, aut bonũ præstat, præsertim in his sputis quæ non facilè educuntur. *Nam si quæ retinentur sputa educeret, gutturq́ lubricaret, & dilataret pulmonẽ, certè molliret*

*& leniret, quæ si contingerent, maximè prodesset. Sed interdum contra accidit; cùm fuerit valde acre, vt sputum non educat, sed viscidum reddat, adferatq́; detrimentum.* Viscidum autem nō potest efficere, nisi dissipatione partis tenuioris propter acrimoniam, quę exasperat guttur. *Potissimum autem ita afficiuntur, qui maximè perniciosè habentes, neque tussire & quæ intus continentur excreare possunt*, crudo nimirum existente morbo: *Cum hæc ita habuerint, vires hominis perpende: Nam si de eo spem conceperis, dabis: cum autem dare volueris*, nempe si sputa fuerint crassa, & viscida, roburq́ue validum, *per quam tepidum, & paulatim, & non affatim dabis*, iuuandæ coctionis gratia, tùm emolliēdi. Nam humida calida emolliunt.

*Quod autem parum acre est, os quidem faucésque humectat*, quòd aqua, & mel habeant vim humectandi, & emolliendi, ea verò ducuntur in partes profundas, ab aceto: & ideo, *sputum educit, sitimque sedat. Qua de causa hypochondriis, visceribusque est beneuolum, mellisque noxas pellit, nempe quod in melle biliosum est castigat,*

*castigat, flatum praeterea discutit*, secando, *& vrinas mouet*, aperiendo, & penetrãdo. *Sed partem internam intestini reddit humidiorẽ*, ob collectos humores, & eò trãsmissos, *facitque ramenta*, ob vim extersoriam, tum quod promoueat excrementa.

Aciditas autem illius biliosis magis prodest, quàm melãcholicis. Nam melancholici, & atrabilarij humores fermentantur ab aceto sumpto: at melancholici hypochondriaci, & lienosi fotu aceti acerrimi iuuantur; & lienosis medicamentis semper Medici admiscent acetum, neque sanè solùm prodest, vt quod penetrare faciat, vt quidam sunt arbitrati, sed etiã quod per se illis affectionibus conferat. Iuuat verò, quia siccando resoluit, & refrigerando, & roborando, nec tamen penetrat vsque ad atram bilem, vt eam fermentare possit cum extrinsecus applicatur. *Mulieribus autem longè magis aduersatur acetum quã viris. Vteri enim dolorem efficit*, quod offendat partes neruosas, penetratione, & refrigeratione. Vterus autem est mẽbrano-

branosus, proindeque nerueus.

## DE AQVA.

### CAP. VII.

HIpp. loco iam dicto ita scribit, de aqua *quod autem ad* aquam attinet præterquam quod in acutis bibitur morbis, nullum sanè aliud habeo quod illi concedam officium. Neq; enim in perineumoniis tussim sedat, neq; sputũ educit, imò cæteris, si quis aquæ potione prorsus vtatur, magis obest. Verùm si inter oxymel, & mulsam parum aquæ sorbeatur, sputũ educit ob transmutationẽ qualitatis potionũ: quandã enim inundationẽ parit, aliequi sitim non sedat, sed irritat. In biliosis naturis est biliosa, hypochõdrio mala, atq; etiã pessima, biliosissimaq; & vires maximè labefactat, vbi in vacuitatem venerit: adde quod lienẽ auget, & iecur, vbi inflãmata sunt, fluctuatq;, & innatat, tardè liquidẽ meat, quòd frigida sit, & incoctibilis, nec aluum commouet, nec vrinas prouocat,

uocat,atque ex eo quoque, quòd ſtercoris ſuapte natura expers ſit: aluum namque non ſubducit:eam verò, ſi pedibus frigentibus aliquis biberit, ideſt, incipiente febre, multò magis nocebit.

Aqua autem cocta faciliùs permeat, meliorque omnino cenſenda,ex Gal.in comment.loci citati.



LIBRI TERTII.

*PARS SECVNDA.*

*De reuulſione, & deriuatione in genere.*

## CAPVT I.

CVm humores fluunt in aliquã partẽ, illi ſunt à curſu ſuo retrahendi, ne ſcilicet tumorẽ pręter naturã in ea parte generent, aut nimia copia calorem partis ſuffocent. Eam retractionem antiſpaſimMedici,ideſt reuulſionẽ, vocant:hac vtũtur Medici imitatione naturæ ex Gal.cõment.in lib Hipp.de humoribus quę ſolet plurimos morbos ſanare per retractionẽ: eo ſpectãt plurimi aph.Hip.vt 21.l.6. *Inſanis ſi varices vel* hæmor-

hæmorrhoides superueniant, insaniæ fit solutio. Lipientibus alui profluuium biliosum remedio est, aph. 17. eiusdem & alij multi his similes. Retractionem Medici ope factam definiũt, Tractum humoris arte factum è contrario quàm antefluebat, & ferebatur.

Retractio autem duplex est. Vna dicitur reuulsio, altera verò deriuatio: illa retrahit in contrariam partem, hæc verò in proximam. Contrariam partem appellamus termino oppositam, vt explicatur in physicis. Contrariæ autem partes sunt non tantùm longè distantes à se inuicem, & extremæ: sed omnes quæ sunt inter duo extrema contraria comparatæ, aut cum extremis, aut cum medijs oppositis: nam contraria sunt extrema, extremis alicuius corporis, & extrema medijs: & intermedia intermedijs. Ergo in reuulsione efficienda non est trahendum ex parte affecta, sed ex parte commodè distante, idque imitatione naturæ quæ è directo partis affectæ solet suas excretiones moliri. quod Hipp. sæpe scripsit, & eius imita-

tor

tor Galenus præſertim lib.de diſſectione venarum,cum inquit.*Sed & reuulſio, è directo facta euidens auxilium celeriter oſtendit,& e conuerſo nequaquam.* Non requiri autem in reuulſione ſemper maximam diſtantiam probatur ex eodem Gal.loco citato. Adfert enim ad probationem contrarietatis obſeruandæ, & ſitus in reuulſione, *Si è nare dextra* (inquit)*ſanguis profluxerit,aptè, & celeriter ſiſtit cucurbitula dextro hypochondrio appoſita:ſicuti ſi è ſiniſtra,ſiniſtro.* At crus dextrum eſt diſtantius: ergo in reuulſione non eſt neceſſarium trahere ad longinquiſſimam partem,

Definiendum verò quandónam reuulſio debeat fieri ex valde diſtante parte: quando verò ex mediocriter ſeparata. Quæ fit per remotiſſimam partem totam humorum molem in ſe cõuertere poteſt, ſed imbeciliùs atq; tardiùs trahit remotiorem humorem,vt ſi excitetur confluxus humorum in caput, & fiat diuerſio ex crure,aut ex tibia,tardiùs, & imbeciliùs id efficietur. Si verò ex brachio,celeriùs,&cum maiore

iore vtilitate:nam omne agens validiùs exerit ſuas vires in propinquiora,quàm in ea quæ magis diſtant. Ex quo ſequitur vt in acutis morbis in quibus celeri eſt opus retractione,trahendum potius ſit ex mediocriter diſtantibus,quàm ex remotiſſimis. In lõgis morbis forſitan contra,vt in quartana,cum ex ſaluatella detrahitur ſanguis , cùm ad lienem fiat defluxus humorum.

Fluenti materiæ, ſecundum Galenũ magis eſt neceſſaria reuulſio; in ea quæ fluxa eſt,deriuatio.

Fit autem retractio multis modis,& inſtrumentis:ſanguinis detractione,cucurbitulis, frictionibus, motu,vinculis, & alijs dolorem commouentibus , vt pyroticis,cauterijs, veſicatorijs, purgatione per aluum,per vomitum,per vrinas,per fluxum menſtrualem , per hæmorrhoides,per ſudores.

## *De curatione per sanguinis missionem.*

## CAPVT. II.

SAnguinis miſſio maximi momenti debet exiſtimari, præſertim cum in ſanguine, tanquam in theſauro, vita ſit repoſita; tantùm enim habemus caloris, quantùm & ſanguinis: vita autem noſtra non poteſt conſiſtere ſine calore: quare maxima eſt adhibenda cautio in ſanguine mittendo. Medicus hoc remedium exercet imitatione naturæ, quæ ſolet vitioſum ſanguinem reijcere per hæmorrhoidas, per nares, & per vterum. Equus aquaticus cuſpide cannarum immiſſa, ſibi detrahit ſanguinem. Præterea experientia quotidiana docet ſanguinis miſſione dolores vehementes ſedari, febres extingui, ſuffocationis pericula deuitari promptiſſimè. Quocirca qui hoc remedium contemnit rationi, & experientiæ reluctatur.

Sanguinis miſſio eſt Euacuatio vniuerſa-

uersalis, per venæ sectionem facta ad varios scopos, aut enim euacuamus sãguinem qualitate, aut quantitate peccantem: aut deriuamus, aut reuellimus: qui sunt scopi præcipui in sanguine mittendo, ex lib 9. Gal. method. medẽd. cap. 11. Alij sunt minùs pręcipui, refrigeratio, obstructionum liberatio, doloris sedatio, & alij multi qui sequuntur per accidens ad euacuationem.

In sanguine detrahendo duo quæri solẽt. Primum an possit detrahi sanguis. Secundũ an debeat: frustra enim quæritur secundum, nisi primum fuerit cõstitutum, nulliusque momenti censetur primum nisi adfuerit secundum: nam in sanis, & beneualentibus frustra constituimus posse detrahi sanguinẽ, quia non debet.

Indicatio eius, quòd possit emitti sanguis, sumitur ex viribus ægrotantium, quibus annectitur ætas, ex Gal. comment. 1. in lib. de humorib. & 1. methodi medendi passim. Requiruntur vires in sãguinis missione, quia vires detractione sanguinis minuuntur. Quare nisi

fuerint

fuerint robustæ vires,ægri trucidantur. Præterea ætas consideranda est ex Gal. lib. 4. de ratione victus in acutis,comment.16.& lib.8.methodi medendi c.4. Nam puerulis non est detrahendus sãguis,quia plurimo egeant sanguine ad nutritionem,& incremẽtum:tum quoniam spiritus illorum facilè dissipentur ob raritatem corporis .Senibus etiam detrahi non debet ob virium inopiam, & debilitatem,sanguinisque penuriam. Tamen adnimaduertenda est hoc loco Celsi sententia cap. de sanguinis missione:*nostra ars* (inquit) *metitur vires, nõ ætatem: nam sunt multi crudi senes robustiores alijs ætate florentibus.* Medici,ignarorum & eorum qui vires metiri nesciunt causâ,præfiniunt tempus ad sanguinis missionem aptum à 4. anno ad 60.vsque: docti tamen norunt detrahi posse sanguinem 50.& 60.año,& vltra 60.de quo disputauimus fusiùs in libro de morbillis,& variolis.

Habenda est etiam ratio temperamenti, regionis, habitus corporis &c. ex lib.9.metho.med.cap. vltimo. Nam

M 2 sep-

ſeptentrionalibus tutò detrahitur 3. & 4 anno. quia abundant ſanguine. Meridionalibus verò non tam citò eſt detrahendus.

Reliqua quæſtio eſt, an debeat mitti ſanguis. Authores quamplurimi indicationem ſumpſerunt à magnitudine morbi. Hipp. enim in lib. de vict. ratione in morbis acutis, totius negotij, ideſt, miſſionis ſanguinis, indicationes eſſe ſumendas ſcripſit à viribus, ætate, & morbi magnitudine: quorum illa poſſe indicãt: hęc verò debere inſinuãt. At multi ſunt magni morbi, vt apoplexia ab humore pituitoſo, qui nõ indicãt mitti debere ſanguinem. Quare de ijs paulo exactiùs eſt agendũ. Primò morbi magnitudo, & virium robur non indicãt ſanguinis miſſionẽ: nam quorum nõ eſt vna natura, ea vnũ, & idem ſimul indicare nõ poſſunt. Atqui horum vna non eſt natura. Deinde æquè indicant ſanguinis miſſionem, ac purgationem ex Gal. 4. meth. medend. cap. 6. Profectò magnitudo morbi magnitudinem remedij indicat per ſe, *Extremis namque*

*morbis*,

*morbis, conueniunt extrema remedia*, non dixit Hippoc. in hoc apho. in extremis morbis optimam esse sanguinis missionem, aut purgationem. Ergo magnitudo primò, & per se indicat remedij magnitudinem tantùm, neque in magno morbo semper (vt diximus) est sanguis detrahendus, neque in paruis morbis semper à sanguine mittendo abstinemus, vt cum reuellendum est aut deriuandum. Neque etiam vires indicant sanguinis missionem, sed potiùs sui cõseruationem, ex Gal.cap.13.lib. 9. & lib. 11.cap.3.methodi medendi, quæ est indicatio vitalis, & conseruatiua, non autem curatiua. Galenus hoc probat de optima secta ad Trasibulum, *quia nimirum in sanis indicarent remedium, quod absurdum est*: & lib.de curatione per sanguinis missionem, *duo sunt præcipui scopi in sanguine mittendo*, idest, *præcipuè indicantia, magnitudo morbi, & virium robur: illa seu indicans: hac verò haud prohibens*. Indicant ergo primò vires sui conseruationem, & suadent deinde sanguinẽ mitti posse in morbis. Eadem sunt in-

telligenda de ætate,& alijs quæ coindicant.

Ergo sola & per se non indicant sanguinem esse mittendum : sed cùm plethora,& cacochymia fluente,& impetum habente in aliquam partem : aut fluxura : scribit enim Gal. cap. 2. lib. 9.meth.medendi: *Cum sanguis natura est inutilis,detrahendus est. Fit autem inutilis bifariam: primò cum propriam qualitatem ad vnguem non seruat, nec potest amplius corpus nutrire:vel ita multitudine creuit,vt aut vires premat,aut tum venas,tum arterias, vel distendat,vel findat, vel obstruat: at in ijs quidem missio sanguinis vtilis est, vt vacuans remedium: in alijs ceu quorum vehementiorem impetum ad diuersam partem reuocet, vel per propinquam deriuet,* Nam quod corruptum est à partibus in partes deijcitur, & detruditur, vera ergo est hęc propositio:Vbi plethora adest,aut cacochymia, si vires permittāt, sanguis mittendus est. Magnus quinetiam morbus intelligitur,aut præsens, aut futurus : nam in athletis sanis ex 3. aph.lib.1.mittitur sanguis metu magni morbi

morbi futuri. Neque semper est necessaria magnitudo morbi præsens, aut futura, vt mittatur sanguis, quod etiam in paruis morbis cum plethora, & virium robore coniunctis mittatur salutariter. Nec omnis sanguinis missio est magnũ remedium, sed larga tantùm.

Quæri etenim solet vtrum extra plenitudinem sit mittendus sanguis? Est quidem vt in reuulsione, & deriuatione, tum etiam in cachexia, quando est suppressa aliqua sanguinis euacuatio consueta, vt hæmorrhoidum, & menstruorum, etiam si plethora non adsit. Celsus cap. 20. lib. 3. in tabido detraxit sanguinem, quia cacochymus erat. Inquit enim, *si nihil reliqua proficiant, sanguis detrahendus est, sed paulatim pluribus diebus*. Aduertendum est etiam aliam esse plenitudinem potentia, aliam verò actu. Quando solemnis aliqua sanguinis euacuatio sistitur, timetur plethora futura, aut quando aliquis est priuatus aliquo membro, quare detrahitur illi sanguis ad præcautionem.

Cum ergo reuulsionis indicatio, &

deriuationis nõ petatur à plethora,quę nam sunt ea quæ illa indicant? Defluxus humoris in aliquam partem indicat deriuationem aut reuulsionem.

Fluxus verò humoris consideratur trib⁹ modis ratione temporis,aut enim futurus est,aut fit, aut fieri incipit: aut partim fit,& partim fact⁹ est. Tũ in õni reuulsione tria spectantur,debita distãtia,& oppositio,vt diximus, & consensus,siue cõmunicatio vasorum per quæ fiat reuulsio:& denique rectitudo, quæ triplex est secundum aliquos,fibrarum, & vasorũ, per quę fit atractio, lineæ,& motus naturalis secundũ situs differentiã. Omnes hæ rectitudines nõ possunt sẽper obseruari, quo tamẽ plures poterũt adesse, eo sẽper res meliùs habebit.

Nunc oportet videre quid sit agẽdum in quolibet fluxionis tẽpore.In illo fluxu,qui futurus est,& in quo præcautionis gratia reuulsio abhibetur, nulla est habẽda ratio terminorũ,&partis in quã fit fluxus:sed tantùm loci à quo.Quare satis est tantùm distantiam loci obseruare in detrahẽdo sãguine,nec reliquas condi-

conditiones admodum curare. Quãdo verò materia incipit fluere, tunc debet aduertere Medic⁹ locũ à quo fluit, & ad quẽ fluxio cõcitatur, quô curet diligẽter, vt motus reuulsionis sit cõtinuus, & perpetuus vsq; ad locum affectum. Verũ quia rectitudinis maxima est habenda ratio (semper enim Hipp. eam commendat in euacuationibus reuulsiuis) exemplis est explicãda illius diuersitas.

Cũ ergo Hipp. scribit in aph. 58. l. 5. posteriore capitis parte dolente, vena in fronte inscisa prodest, in hac reuulsione seruatur rectitudo situs: posterior enim pars, recto tramite, apponitur anteriori. debita etiã adest distantia, & oppositio, quæ maxima est, & lineæ rectitudo: rectitudo autẽ fibrarũ obseruari nõ potest


Cum autem fit reuulsio ab vna manu ad alteram, obseruatur rectitudo lineæ, situs venarum, & consensus, non tamen fibrarum.

Si inflammatio sit in parte anteriore pedis dextri, fit reuulsio ex saphæna pedis sinistri, in qua seruatur perpetu⁹ ductus fibrarum, & consensus venarũ; non

tamen rectitudo situs, aut lineæ.

In ea verò fluxione in qua aliquid iã effluxit, & fluxurum est continuè, non tantùm reuellendum est ratione fluentis materiæ: sed etiam euacuandum ratione materiæ quæ effluxit. In quo aduertenda est distinctio, quam diximus de ea parte quæ maximè distat, & quæ proximior est.

In deriuatione autem debet fieri detractio sanguinis per eandem partem, idest, eiusdem lateris, & consentientem, vt si defluxio fiat in oculum dextrum, aut dextram aurem, deriuatio fiet per venam dextri brachij, vt cap. de reuulsione diximus.



*De affectionibus egentibus phlebotomia.*

CAP. III.

ALiqua plethora missione sanguinis eget: alia non eget. Quare distinctione est opus. Plenitudo duplex est: vna ad vasa: altera ad vires. In plenitudi-

nitudine ad vires non ſemper ſanguis detrahendus eſt, quando videlicet crudus humor in corpore eſt abondans, ex Gal. commēt. in lib. Hipp. de humorib. & cap. 3. lib. 12. de metho. meden. Nam adhibita sãguinis miſſione, inquit Oribaſius, cap. 2. lib. 7. ægri ſolent incidere in magnum morbum ob refrigerationem quę fit priuatione ſanguinis, & caloris. In reliquis repletionibus, eſt vena ſecanda.

*Qui reiecerunt ſanguinem ex pectore, & curati ſunt, ea tamen exiſtunt thoracis figura, & pulmonis conformatione, vt paulo plus collecto ſanguine vas aliquod aut rumpatur, aut reſeretur: ijs etiam ſi in corpore nulla adfuerint alia ſymptomata ineunte vere ſanguinem detrahere oportet.* Nam ſi durante vere multus colligatur ſanguis in pectore arcto, recident in primum morbum. quare venæ ſectione illis proſpiciendum eſt.

*Qui in morbum comitialem à ſanguine, aut apoplexiam ab eodem, aut perigneumoniam, aut pleuritidem, aut anginam ſubitò incurrunt, ſanguinis detractione egent,* ob ple-

plethoram,aut defluxum humorum in partes affectas,ex Hipp.li. de victus ratione in morbis acutis.

*Quibus hæmorrhoides suppressæ fuerunt atrabilaryis, & quotannis æstate plethoricis affectionibus affici solent, initio veris sanguinis detractione euacuandi sunt ad præcautionem,* quod est etiam intelligendũ in omni morbo,qui solet æstate singulis annis repetere.

*Quibus mulieribus suppreßi sunt menses, albioribus quidem per maleolos, nigrioribus verò per saphenã, sanguis est detrahendus.*

*Iis quibus fluit sanguis nimia copia, vena secanda est per reuulsionem:* siquidẽ fluxus ille fuerit symptomaticus,non criticus.

Initio inflammationum vena secanda est. Denique in magnis doloribus nullum est præsentius remedium quàm venæ sectio.



*De quantitate sanguinis detrahendi.*

CA-

## CAP. IV.

IN ſanguine mittendo menſura quãtitatis ſumitur à viribus ægri, ab ætate, à morbi magnitudine, repletionis quantitate, ab aëris ambiẽtis temperie, à victus ratione, à vitæ inſtituto, ab excrementis eductis, vel retentis, ab habitu corporis denſo, vel raro.

Si multa ſit opus euacuatione, & vires extiterint debiles, oportet euacuationes partiri, ex Gal. l.9. method. med. cap.4. Quare parua copia detracto sãguine, aliquo interiecto tempore, erit iteranda venę ſectio, quouſque ſufficiẽs quantitas ſit detracta.

*Si ferueſcentis ſanguinis adſit plenitudo acutiſſimam febrem accẽdens, ſubitò, & ſemel euacuare oportet vſque ad deliquium animi* Hipp. aph. 23. lib. 1. inquit *vbi vſque* ad animi deliquium educere conuenit id faciendum ſi ęgrotus par eſſe poſſit. Hip. conditionẽ adiunxit, ſi æger poſſit tolerare, ideſt, ſi vires fuerint robuſtę: nã in debilibus animi deliquiũ eſſet mors. Quidam interpretãtur hãc particulam (deli-

(deliquiũ animi) exclusiuè, nõ inclusiuè. Verùm nõ potest Medicus certò cognoscere illos terminos : quamobrem res est altiùs examinanda. Primò enim animi deliquiũ ratione causæ est multiplex : aliud namque accidit ex succis mordacibus os superius ventriculi vellicantibus. Aliud verò defectu virium, ratione vacuationis. Hippocrates, & Gal. intellexerunt de hoc posteriore deliquio : neque tamen hoc potest esse vera mensura sanguinis detractionis. Aliqui namque ita sunt animosi, vt nõ antea deficiant quàm totus penè sanguis fuerit detractus: in ijs autem expectare deliquium animi, nihil aliud esset quàm præstolari mortem. Quare putãt multi, & veriùs Hippocratem intellexisse vsque ad animi deliquium quoad vires ferunt. Vtrum autem vires ferant, percipitur potissimùm ex pulsu, quare in sanguine detrahendo Medicus perpetuò debet manum apponere pulsui, vt possit intelligere quomodo se vires habeant : qui quidem dum percipit eas debilitari valde, ita vt timeatur animi de-

mi deliquium tunc temporis finem euacuationi imponere debet.

Sub cane, parua quantitate detrahēdus est sanguis, ob virium debilitatem. Vere autem larga copia.

In septentrione largiùs sanguinem detrahemus: in plaga meridionali parciùs.

Qui venas habent latas copiosam facilè patiuntur detractionem sanguinis: qui verò paruas non facilè.

Quibus suppressę sunt solemnes euacuationes, ijs abundè est sanguis detrahendus. Qui verò euacuationibus affliguntur solemnibus, ijs parua copia.

Qui raro sunt habitu corporis, largam sanguinis detractionem non ferunt: qui verò denso, contra.

Qui immoderata vsi sunt venere, his pauca quantitate detrahendus est sauguis.

*Quæ vena secanda sit: de quantitate sectionis: & quo tempore vena secanda sit.*

CA-

## CAP. V.

A Situ partium affectarum indicatio sumitur quæ vena sit secanda. Oportet enim è directo partis affectæ sãguinem mittere: vt liene affecto, è vena sinistri brachij, aut pedis sanguis est detrahendus ex Gal. in comment. libri 1. Hipp. de humoribus. Id autem fit imitatione naturæ, quæ solet sanguinis profusiones vtiles moliri è directo partis affectæ.

Tres sunt venæ è quibus in cubito mittitur sanguis ex Gal. lib. de sanguinis missione. Interior, nempe quæ ex axilari, exterior quæ ex humerali, & media, siue mediana appellata. Medianæ, & interioris sectio vtilis est ijs in quibus inferiores collo partes patiuntur. Exterioris siue Cephalicæ in ijs in quibus superiores collo partes laborant, vt facies, & caput. Media denique medio modo se habet, idque fit ob maiorem consensum partium inter se.

Inferiores partes corporis iuuantur venis incisis, quę sub poplite, & malleolis

lis ſunt;vt in vteri inflammatione ſecare oportet venas quæ ſunt in crure aut poplite. Nam ſi aperiantur venæ quæ ſunt in cubito, vtero inflammato, retrahuntur menſes ad partes ſuperiores, & ita ſuprimuntur.

In Iſchiade quando non accidit à frigore ſed à repletione venarum quæ sũt in coxis,oportet ſaphænam, vel popliteam venam ſecare.

In principio anginæ, cubiti venam eiuſdem lateris ad reuellendum, & deriuandum: poſtea quæ ſub ligua ſunt venę tundendæ.

Si capitis dolores ſint inueterati oportet ſecare venam quæ eſt in fronte. In recentioribus etiam capitis doloribus mirè confert poſt generales euacuationes.

Si hęmorrhoides ſecandi venam occaſionem præbuerint,& eas velis cohibere, ſeca venam brachij: ſin autem prouocare,tunde eam quæ eſt in cruribus, aut tibijs. Idem de menſibus eſt intelligendum. In malignis affectibus ex eadem parte vena ſecari debet. Vt in

carbunculis & similibus: nã si ex opposita ducatur sanguis, incommodum commodo maius est: plus namque nocet materia venenata per partem principem transiens, quàm prosit retractio eiusdem à parte affecta.

De quantitate verò sectionis venæ statuendum est ita. Qui subita, & confertim facta indigēt euacuatione, quales sunt, qui laborant magna plethora aut febre ardente, præsertim si fuerint iuuenes, & boni habitus, ijs magna est apertio facienda.

Qui crassum habent sanguinem vt pote melancholici, & adusti, egent magna sectione.

In reuulsione exigua vel mediocris est incisio facienda.

In insaniētibus parua incisio est faciēda, ne auferendo sibi faciam vel ligaturam sinant egredi sanguinem, & quo ciùtis vulnus consolidetur.

In vasis magnis magna: in paruis parua est vtendum scissura.

Hyeme maiore est opus incisione quàm æstate. Etenim crassior est hyeme sanguis:

ſanguis:adde quod aëris frigiditas impedit ſanguinis egreſſionem.

In debilibus parua inſciſio facienda ne magna copia diſſipentur ſpiritus.

Quo verò tempore ſit ſecanda vena nulla eſt habēda ratio numeri dierum: nam ſi morbus magnus extiterit,& affectio requirat ſanguinis miſſionem, vireſque ferant,hoc remediū non prętermittes ex Gal.lib.9.meth.med.cap.5. In ijs,qui febriūt exacerbationis declinationem, aut remiſſionem expectabis ſi nihil vrgeat.Melius eſt venam ſecare manè,non ſtatim à ſomno, ſed vna hora poſt euigilationem.

Quibus vena ſecanda eſt poplitis, aut malleoli, à prandio id fiat poſt deambulationem eſt neceſſe,quo ſanguis faciliùs deducatur ad partes inferiores, & venæ ſint patentiores.

## *De indiciis quæ ſumuntur ſanguine detracto.*

## CAP. VI.

SAnguis qui lentè fluit,& digitis adhęret, glutinosus est, obstructionesque ostendit, nec non calorem vehementem, quo serosa pars illius consumitur.

Sanguis tenuis tardè cõcrescens cruditatem, iecoris debilitatem, aut summam putredinem ostendit.

Plurima aquea substãtia sanguini supernatans largioris potus dat indiciũ, aut debilitatis epatis, aut renum obstructionis.

Arenosus sanguis indiciũ lepræ est.

Sanguis qui simul atque detractus est suam corruptionem ostentat, magnam caloris natiui debilitatem significat: qui autem tardè, admodum robustas vires.

Sanguis qui facilè lintea satis densa penetrat, nullasque guttas eminentes procreat, est corruptus, & tenuis: qui verò eas producit crassus, & vt plurimùm laudabilis.



LIBRI TERTII.

*PARS TERTIA.*

# *DE CVRATIONE per medicamenta.*

## *De purgationis definitione, diuisione, qui sint purgandi, & quibus purgatio non conuenit.*

## CAPVT I.



EVACVATIO est superflui, aut peccantis humoris è corpore detractio sponte facta, aut artificio Chirurgico vel medicamento. Euacuatio itaque multiplex est: inter cuius species duæ sunt præcipuæ, vtpote sanguinis detractio, & purgatio. De sanguinis missione diximus superiori capite: nũc de purgatione est differendum.

Purgatio est humorum qualitate pec-

cantium in corpore, euacuatio: quæ fit aut ſponte, aut medicamentis ex Gal. comment. 2. in lib. 1. apho. Sponte duobus modis, criticè aut ſymptomaticè. Verùm antequam de purgatione longior inſtituatur oratio, de preparatione quæ illam non rarò præcedere debet, pauca dicenda ſunt.

Præparatio eſt humorum diſpoſitio, qua redduntur apti ad purgationem: cuius præparationis neceſſitas petitur ex aph. 10. lib. 2. *Corpora cum quis purgare voluerit, oportet fluida facere*: quod eſt, ſecundum Gal. comment. in aph. citatũ aperire meatus, & ductus, humores attenuare, incidere, & abſtergere, ſi qui fuerint in corpore craſſi, & glutinoſi. Nonnunquam eſt etiam neceſſarium humores ſubtiles & tenues incraſſare, vt in tenui catharrho in pulmones prolabente. Præparationis neceſſitas, trahitur ex imitatione naturæ, quæ ſolet primò concoquere humores, & coctione præparare: vnde ille ap. 22. l. 1. *concocta medicari, & non cruda, neque in principijs, modò non turgeant, plurimũ verò non turgent*:

*turgent*:nam hæc præparãda sunt. Quocirca præparationis indicatio sumi debet ex cruditate humorum quam detegit cruditas excrementorum.

Qui cacochymia laborant, sunt purgandi. Cacochymorum enim humores qualitate peccant, & purgatio est euacuatio humorum qualitate peccantiũ. Verùm cacochymiæ quiescenti actu, & potentia, debetur purgatio per se: fluenti verò, sanguinis detractio per reuulsionem, aut deriuationem.

Galenus cap.3.lib.3.de sanitate tuenda scribit, *si quis vel propter ætatem, vel propter timiditatem sanguinem sibi detrahi non permittat, hic largiùs purgandus est:* & potissimùm medicamẽto catholico, quod vim habet omnes humores purgandi. Nam illis extractis humoribus minor efficietur plethora.

Quorum humores turgent, ij sunt purgandi: turgent autem cum è parte in partem vltrò, citroque ferũtur: nam hi humores exitum, & manus medicas petunt auxiliares.

Qui scatẽt humoribus tenuibus pur-

gatione egent, ne illi humores incendiũ concipiant,& febrem excitent.

Qui ſolent anniuerſarijs affligi morbis, verno tempore ſunt purgandi,hac diſtinctione adhibita, vt ſcilicet qui ſunt pituitoſi, initio veris purgentur: nam tunc temporis humores pituitoſi hyemis tempore collecti, vi caloris ingruentis funduntur, & morbos diuerſos pariunt, vt pote catharrhos,epilepſiam,appoplexiam,paraliſim.Bilioſi verò in fine veris ſunt purgandi, quia tunc temporis maior copia bilis collecta eſt.

Qui integrè non fuerunt iudicati, ideſt quorum criſes fuerunt imperfectæ,purgandi ſunt.Nam ex Hip.aph.12. lib.2. *quæ relinquuntur in morbis poſt iudicationem,recidiuas facere ſolent*: quare ne patiantur recidiuam, ſuntpurgandi.

Illi verò, qui ſano ſunt corpore non ſunt purgandi,nam ex aph 36.lib. 2. *qui ſano ſunt corpore, per medicamenta euacuati, citò exoluuntur, vt qui prauo vtuntur cibo.* & aph. 16. lib. 4. ſcribitur *carnes ſanas habentibus helleborus periculoſus*:

parit

parit enim conuulſionem.

Qui laborant interna inflammatione non ſunt purgandi, ſcilicet aliquo vehementi medicamento: purgatione namque commouerentur humores, ex quo maiori copia in partes affectas, confluerent.

Quibus aluus abundè fluit ijs à cathartico medicamento eſt abſtinendũ: nam metus eſt ne deficiant ſuper purgatione, dummodo fluxus ab obſtructione non pendeat, vt in fluxu chyloſo; nam tunc temporis medicamẽtum eſt propinandum, quo obſtructiones venarũ meſeraicarum auferantur: aut ſi fluxus pendeat ab irritatione naturæ, purgandum eſt, leui carthartico.

Debiles non ſunt purgandi, & qui laborant vomitione nimia, aut ſubuerſione tanta ventriculi, vt non poſſit medicamenta retinere: fruſtrà enim ad illa ſumenda impelluntur.

Corpora quæ abundant humorum crudorum copia, non ſunt vehemẽtioribus purgationibus vexanda: quia medicamentum vehemens illis in corpo-

ribus mouet humores crudos, & ſæpe commotos non purgat. Satiuſque eſt humores omnino non mouere, quàm commotos non purgare: tũc enim moleſtia afficitur corpus ſine vtilitate vlla.

*Mulieres grauidæ non purgantur, niſi turgente materia inter 4. & 7. menſem*, ex Hipp. aph. 1. lib. 4. nam primis menſibus periculum eſt, ne vaſa (quę cotyledones vocantur) rumpantur agitatione medicamenti, quòd tenera, & imbecilla ſunt vaſa illa fœtus: poſtremis verò mẽſibus facilè rumpuntur, ob eorumdem vaſorum ſiccitatem.

*In morbo acuto*, ex Hipp. *raro purgandum niſi turgente materia*, ne ſcilicet violentia medicamenti magis accendantur humores.

Pueri, & ſenes difficillimè ferũt purgationem ob debilitatẽ virium, & diſſipationem caloris natiui.

Qui corpore ſunt nimis obeſo, aut gracili purgationem difficilè ferunt, ob debilitatem caloris innati. Cæterùm Hipp. penuria benignorũ medicamentorum, quibus nos abundamus, multis prohibe-

prohibebat purgationem, quibus nos liberè concedimus.



*Quomodo, qua parte, quando, quibusue medicamentis sit purgandum.*

CAP. II.

INdicatio partis per quam purgare oportet, pendet ab humorum inclinatione in aliquam partem. Nam ex aph. 21. lib. 1. *quæ ducere oportet quò maximè natura vergat per loca conferentia, eò ducere,* idest, *vijs ac locis vtiliter eò ferentibus.*

Ab anni tempore petitur indicatio, ex aph. 4. lib. 4. *æstate superiores magis, hyeme verò inferiores ventres purgare oportet,* nam æstate bilis redũdat, quæ cum leuis sit, per partes superiores faciliùs ducitur: hyeme verò pituita, & succus melancholicus autumno collectus, qui faciliùs per inferiores partes purgãtur.

Ab habitu corporis, & facilitate purgationis ducitur indicatio ex aph. 7. l. 4. *graciles, & vomentes facile purgare superius,*

*riûs, cauentes hyemem*, propter abundantiam crassiorum humorum. Et aph. 7. *Vomentes verò difficulter & qui mediocriter sunt carnosi per inferiora, cauentes æstatem.*

A specie morbi item sumitur indicatio ex aph. 8. lib. 4. *tabidos verò per inferiora, cauentes purgationẽ per superiora*, ob debilitatem instrumentorum respirationi inseruientium ex Gal. in comm. eiusdem aph.

In leucophlegmatia primò purgandum est per inferiora. Deinde per superiora; tum per apophlegmatismos. Cũ humores sunt parati tunc ægri sunt purgandi. *Concocta enim purgari oportet*, ex Hipp.

*In principio acutorum morborum est purgãdum, si materia turgeat*: ex aph. 10. lib. 1. Hæc item comprehenduntur ap. 22. lib. 1. cum scribitur, *quæ cocta sunt medicamento ducere oportet, ac non mouere cruda neque per initia morborum, nisi suapte natura humores moueantur, quod rarò fieri solet.* Ergo in ijs rarò purgandum. Signa autem turgentis materiæ sunt ex Gal. lib.

lib. quos, quibus, & quando purgare oportet, *motus materiæ eiusdem murmur, ægri inquietudo, & dolor vagus.* Motus materiæ fit à partibus materiam agitantibus. Murmur à motu flatus impulsi. Inquietudo ab onere materiæ, aut eius malignitate. Dolor vagus, à diuersa materia per corpus vagante eiusque partes vellicante.

Quæ continentur illo aph. ita explicari possunt. Certum est imitatione naturæ, quæ priùs concoquit quàm excernat Medicum debere concocta purgare. Verùm cum natura concocta depellat, non erit opus medicamentis, nisi ea non possit expellere: nam simpliciter non posse forsan est falsum, quia quæ potuit concoquere quo pacto non poterit expellere: cum sint eiusdem generis facultates? Respondeo, non esse impossibile naturam coquere, & non posse expellere: nam coctio fit quiete; expulsio autem motu, in quo maiore est opus robore. Quare bene Auicen. admonet Medicos, vt si

natura

natura cum debet, non expellat, iuuent eam medicamentis suis.

Quærit Hollerius commentario in aph. citatum, An in crudioris, & frigidioris humoris multitudine sit statim initio purgandũ, ideſt, primo morbi insultu? Respondet purgandum esse, alioqui periculum est ne copia materiæ calor natiuus suffocetur. Ad hæc si materia illa decumbat in articulos, generabit arthritidem, paralysim, & morbos alios. Si descendat in ventriculos cerebri, morbos frigidos procreabit, vt apoplexiam, epilepsiam & alios. Quare initio illa materia purgãda est tali medicamento quod non tantùm moueat, sed etiam purget. Præterea cùm materia venenata est, purgari debet etiam in principio, licet orgasmũ non habeat. De his in telligitur aph. Hip. *si quid mouendum videtur, in principio mouendum, in statu quiescendũ.* Hoc loco occurrit peruestigare, Quorsum natura in principio morborũ non expellat quæ noxia sunt? Nam omni generi animantium, à naturà tributum est vitare quæ nocitura vi-

ra videntur. In morbis verò humores sũt noxij: deberet ergo natura partium corporis potestate expultrice excutere prauos humores in principio, ne interitum afferrent: nec credẽdum est eam non posse. Nam multo pòst tempore, nimirũ in statu, expellit debilior multo existens, quàm in principio morbi. Morbi enim seuitia satis diuturna debilitantur facultates, ex quo necessariò sequitur, eam potuisse in principio faciliùs excludere nocitura. Quamobrẽ multi existimarunt naturam non detrudere foras morbificam materiam quia non sit apta exclusioni, aptitudo autem ex coctione pendet. Verùm humores qui symptomaticè reijciũtur non sunt cocti. Ergo quod natura non excludat materiam morbificam, nõ est in causa materiæ cruditas (si exceperis expectorationem) sed aliquid aliud, nimirum irritationis vehementioris priuatio. At cruda plus adferunt irritamenti, quàm cocta, quæ coctura mitescunt. Ergo in principio, duplici ratione, natura impelleretur ad excernendũ,
nempe

nempe irritatione, & robore. Vt nodus soluatur respondebimus, naturam certè magis irritari in incremento, non in principio, quã vbi materia est cocta. Nã ex 3. aph. lib. 2. *circa initia* & finem remissiora sunt omnia, in vigore vehementiora. Tum robustiorẽ esse. Verùm non expellere in principio, aut incremento, nisi ita stimuletur ab irritante causa, vt diutiùs sine sui interitu, non possit sufferre. Quia meliùs consulatur naturæ, si antea coquat quàm expellat: nam cruda difficilè expellũtur. Et quoniã difficilis est expulsio, maior fit dissipatio naturæ, & maior hinc consequitur debilitas, minor autem quando facilè materia expellitur: facilius verò eijcitur quando est cocta. Ergo natura ad sui conseruationem priùs coquit, quando nõ cogitur, quã expellat. Adde quod tota materia cruda non potest, nisi longo tempore, detrudi: quo interim coctioni debet incumbere natura: at coctioni & expulsioni simul vacare, sine magna difficultate, nequit. Ergo quia prudens, & sine præceptore docta,

id pręst.

id præſtat quod bonum,aut quod melius:multo autem melius illi eſt coquere quàm cruda expellere. Ergo quandò licet,id præſtat:ſed dum cogitur,ad ſui conſeruationem ante coctionem expellere materiam morbificam, eò vſq; expellit, quoad ceſſauerit grande illud irritamentum:quod cernitur in multis excretionib⁹ ſymptomaticis, in quibus poſt excreta plurima cruda fit mutatio in excrementa laudabilia. Cum verò à malignitate materię perſeuerat illa permoleſta irritatio,ad mortem vſque excernit:melius ſiquidem eſt excernendo noxia,vitam animalis,quantùm poteſt fieri,protrahere, quàm retinendo pauco temporis ſpatio perimi. Ergo coquit priùs quàm expellat,non tam materiæ excludendæ indiſpoſitione, quam ſui conſeruādi cauſa. Quare Medicus imitator naturæ, quæ parum moleſta ſunt debet priùs coquere,quàm purgare. Si verò vt Hipp. inquit, turgeant & veluti effera è parte in partem transferantur iuuanda eſt natura. Nam in illo orgaſmo natura dat ſignificationem,ſe velle

expellere,ob molestiam: sed non posse propter aliquod impedimentum. Quare Medicus manus auxiliares porrigit, vtiliter. Quæ si acutè fuisset contemplatus Scaliger commentario in librum Hipp. de insomnijs, non appellasset eos qui tenues humores in principio morborum purgant, literarum cuersores, Propterea quòd existimat tenuia non posse excludi nisi incrassentur, quod cum verum sit in expectoratione, falsũ est in reliquis excretionibus, sudoribus nempe, vrinis, detectionibus alui:& cõtra sententiam Hippocratis, nam sola tenuia orgasmum habent illa verò sunt purganda, ex Hipp. doctrina.

*Vtero gerentes sunt medicandæ si materia turgeat à quarto mense, vsque ad septimum, sed has minùs, minore verò aut grãdiore fœtu abstinebis*, ex Hipp. aph. 1. lib. 4. quod semper est intelligendum de medicamentis vehementioribus.

In paroxysmis, & crisibus non est dandum medicamentum, quia tunc tẽporis natura congreditur cum morbo, à quo cõgressu, medicamẽto reuocaretur

In continuis febribus exacerbatiōnes sunt vitandæ, ne natura duplici labore exerceatur.

In diebus imparibus medicamenta non sunt exhibenda ex Hipp. lib. 4. de morbis, scribit enim *antiquos Medicos maximè in hoc errasse quòd in diebus imparibus exhiberent pharmaca, nam multos interficiebant, causam hanc non intelligentes, humor enim qui redundat in corpore ægroti, dieb⁹ imparib⁹ maximè mouetur, quia tantū corpus tunc in ventriculos succum demittit: si quis autem iā perturbatum corpus pharmaco iniecto magis perturbet, non mirum est si inde homo pereat*, & maxime si illo die impari futura sit crisis. Aliis namque diebus imparibus, in quibus non sunt futuræ crises, forsan poterimus exhibere medicamentum iuuādo naturæ impetum, & viribus constantibus.

Medicamenta benigna qualia sunt cassia, manna, syrupus rosarum solutiuus paululum ante cibum sumenda: quod probatur authoritate Galeni qui secundo de alimentorum facultatibus ad hunc modum scribit: *Mora*, inquit,

*primum, & ante omnem cibum sumenda scilicet deiectionem procurantia; quæ verò tardè commeant, postremo ordine sunt voranda: & quæ celeriter, primò, & ante omnia. Insuper* de prunis loquens (inquit) *aluum pruna mouent, si prandium non statim, & sine mora, sed aliquo post interiecto interuallo, inchoetur, & ipsa pruna sola comedantur. Hæc autem communia omnium leniter laxãtium præcepta meminisse oportet*: Quorum præceptorum causam comminiscitur Valeriola enarratione 5. libro 2. quòd quæ facilè labuntur, si priori loco sumantur, nihil habent quod ipsorum remoretur coctionem: quare lenitate, & sua humiditate ventriculum supinum, vel subuersum reddentia, atque ipsius robur euertentia illum proritant. Si verò postremo loco sumãtur, à priore iniecto cibo eorum opus peruertitur: cùm neque sic ventriculum euertere, nimirum ob admista alia edulia à quibus eorum deiectoria facultas distrahitur, neq; deiectionem moliri possint, calore nimirum ventriculi circa cibi concoctionem occupato.

to. Contra vero quæ tardo sunt commeatu, vt cydonia, pyra, mespila, & alia eiusdem generis, si ante cibum sumantur, nudo & ieiuno ventriculo occurẽtia, ipsum astringunt, & roborant, vnde deiectio prohibetur. Si à cibo ventrem astringentia, & roborantia sumantur, prius ingestum cibum grauitate & astrictione sua cõcitant, deorsumq; trudunt in ventre contenta.

Verùm ante prandium ne, an ante cœnam, vel post vtraque sumenda sunt illa medicamenta? ante prandium sumenda ratio suadet, modo ne prandium somnus sequatur: nam somnus coquit tale medicamentum, & in alimentum cõuertit: quod in somnó maior fiat cõcoctio: quare cum paucis interpositis horis homines post cœnam soleant dormire, ante cœnam illa minimè sumi debent. Auicennas fen. 4. libro 1. cap. 5. nostram sententiam confirmat: *Cum verò aliquis*, inquit, *deiectorium biberit Pharmacum, siquidem forte fuerit, & catharticum melius erit si super ipsum dormiat ante-*

*quam operetur: roboratur enim vis purgãtis medicamenti,& facilius de potentia reuocatur in actum,à calore interno aucto per somnum. At si debile fuerit catharticum expedit sanè, ne super id somnus accedat, nam à somno, medicamenti concoctio sequetur,vel corruptio. Si verò valde violentum sit medicamentum super hoc minimè dormiendum,cum metus sit ne introrsum reuocato calore à somno noxiam qualitatem ad membra nobilia,& partes principes reuocet, & mittat.*

Si pituita, & succus melancholicus redundauerit,& præcautionis gratia sit verè purgandum,vt iubet Hipp.in aph. 47.lib.6.illi humores educi debent initio veris.Bilis verò in fine veris purgari debet.

Adnimaduertenda tamen, & explicanda est illa sententia Hipp. quæ scribitur in libris de aëre, aquis, & locis: *maximè*, inquit, *obseruare oportet magnas temporum mutationes,& solstitia, vt neque medicamenta in illis exhibeamus neque vramus quæ circa ventrem sunt: neque secemus priusquam prætereant decem dies,*

aut

*aut plures: sed potißimùm decem*. Magnarum mutationũ nomine intelligit mutationes caloris, & frigoris, vt sub cane, & ante canem. Ob æstus vehemẽtiam, & facultatum corporis imbecillitatem libenter medicamẽta non exhibemus: pari ratione dum frigus maximè viget, medicamentum non est propinandũ, nam frigore concrescunt humores, quam ob rem redduntur inepti ad purgationẽ, vel exclusionem. Cæterarum denique mutationum est eadem ratio: tamen hæc de medicamentis violentis intelligenda sunt: nam benigna omni tempore, cùm necessitas vrget, exhiberi posſũt. Item mutationes magnæ (solstitia intelligi debent, & æqui noctia in quibus multi intereunt & sanantur. Inquit enim Hip. eodem loco *periculosißima etiam sunt ambo solstitia, maximè verò æstiuum periculosum, etiam æquinoctium vtrunq; , magis verò autumnale*. Quæritur num medicamenta aut alia remedia, sæpius aliquo certo & determinato tempore vsurpata, inducant consuetudinem, eadem semper sumendi. Gal.

cap. 5. lib. de consuetudine respondet, *multos solitos vti remedijs ijsdem certis temporibus, quòd in illis solerent similibus affligi morbis, aut ad præcautionem futurorum. Quibus tamen non contingebat, ex ratione consuetudinis, vt per talia remedia iuuarentur. Sed quia propter prauam victus rationem cacochimiam, aut plethoram cumulassent & congeßissent.* Ergo non consueuerant sumere, quia vsurpant medicamenta, sed propter morbos quibus affligi soliti erant. Atque in illis qui eodem medicamento, propter similitudinem affectus, vti solent, obseruandũ, ne semper idem præbeatur medicamẽtum. Theophrast. enim scribit cap. 18. li. 9. historiæ plantarum. *Omnium verò medicamẽtorum vires debiliores in assuetis deprehenduntur. In nonnullis etiam omnino inertes. Quidam enim,* inquit, *tantùm hellebori consueuerunt edere, vt manipulos integros vorẽt nihilq; afficiantur,* quod multis historijs confirmat. Subnectit deinde, *quod autem consuetudo ad illud efficiendum plurimùm valeat, rationibus constat. Nam pecora huius regionis absynthium co-*

*medere*

*medere recusant, Pōtica verò eo comesto pinguiora redduntur, & vt quidam arbitrātur sine felle.* Quare cum medicamenta cōsuetudine corpori familiaria reddita nihil aut parum efficiant, eadem sæpius non sunt vsurpanda ijs qui frequenti egent purgatione.

A materia morbifica ducitur indicatio medicamenti exhibendi, nam si biliosa fuerit illa materia, medicamenta bilem purgantia simplicia, vel composita sunt exhibenda. Si pituita adfuerit, ea quæ pituitam educūt. Si succus melancholicus, ea quæ vim habent illum purgandi, quæ omnia explicantur in antidotario.

Quæritur hoc loco num sit aliquod medicamentum sanguinem purgans? cui quæstioni satisfactum est in lib. de facultatibus medicamentorum.

Et quia non omnia omnibus cōueniunt, interrogandi sunt ægri, num habeant peculiarem antipathiam ad medicamentum aliquod: sunt enim plerique qui rhabarbaro offenduntur multùm, alij alio medicamento.



*De quantitate purgationis.*

CAP. III.

INdicatio quantitatis purgationis ſumitur à quantitate materiæ euacuãdæ:nam multa materia magnam purgationem indicat. Verùm ſemper robur virium conſiderandum eſt, nam ſi fuerint vires debiles, non eſt magnum exhibendum remedium,quoniam purgatio debilitat.vires:tamen eſt adhibẽda diſtinctio.num vires ſint debiles ab oppreſſione, an à diſſipatione. Etenim cum oppreſſio eſt cauſa debilitatis,magna purgatio confert: cùm verò à diſſolutione, nocet. Sunt etiam contemplanda ſymptomata, quæ in pluribus ſubſequi ſolẽt euacuationem:nam quidam ſi vehementer purgentur in animi deliquium,in tormina ventris,& in alia mala ſymptomata incidunt. Quamobrem rogãdi ſunt, antequam purgentur,num talia pati ſoleant.

Hoc loco quæri ſolet num purgandum

dum sit vsque ad animi deliquiũ: huius quæstionis occasionẽ præbuit Hip. 23.aph.lib.1.cùm inquit, *quæ euacuantur non sunt æstimanda multitudine: sed si talia euacuentur, qualia conueniunt, & ægri facilè tolerant. Atque vbi vsque ad animi deliquium expedit ducere, faciẽdum, si æger possit tolerare.* Verùm illa sententia potiùs de venæ sectione quàm de purgatione intelligi debet: nã purgatio certa quantitate præscribi non potest, neque sisti, cum volumus: quæ tamen in sanguine mittendo præstari possunt. Detrahimus enim sanguinem quantitate qua volumus, & eius detractionem sistimus cùm nobis libet.



*De remediorum multitudine.*

## CAP. IV.

Galenus libro 1. de diebus decretorijs cap. 11. loquens de Medicis, qui multitudine remediorum obruunt ægros, scribit, *hi quoties ad ægrum accedũt, toties peccant: non igitur crisis die in quem*

*parata*

*parata erat, fieri potest: nec contingit tot erroribus interea commissis: quandoquidem naturæ motus statutis periodis pro sui ratione contingit: interim ab exterioribus erroribus circuitus suos prohibetur seruare natura. Sic itaque Hippocrates vndequaque admirabilis ait, Natura omnino sufficit, & peccatur in hanc extrinsecus operando cataplasmate in vnctione, totius partis fotu.* Hoc etiam loco Gal. *Medicum naturæ ministrum vocat, reuera Medicum, non pharmacopolam ex triuio: tantùm enim à iusta ministri naturæ operatione distat, vt etiam maximè nomen contrarium ipsi magis conueniat, inimici videlicet ipsius ægri: tum naturæ hostis iure appellatur:* tamē his tēporibus Medici multa simul adhibēt remedia, quo natura iuuetur, & eius aduersarius superetur. Nullus enim ferè est Medicus qui in morbis etiam acutis ante decimum quartum diem, ægrum quem curandum suscepit, non purget bis, aut ter, multaque alia adhibeat remedia: quorum sententiam Gal. damnasse videtur. Quare aut Gal. falsa scripsit, aut Medici nostri temporis perperā exer-

exercent medicinam.Hoc ergo diligẽter est examinandum.Ratio Gal.pręcipua est, quòd remediorũ multitudine natura prohibeatur suos seruare circuitus Verùm si remedia applicẽtur apposité,& methodicè,id est, per indicationes,quæ naturã iuuent & morbũ oppugnẽt,naturã nõ reuocabũt à suo opere, & circuitu: imò cũ Medicus naturæ sit minister suggerere debet,multa cõmoda remedia,eorũ exẽplo, qui expugnaturi vrbes,varia,& diuersa instrumenta bellica vsurpãt,vt facili⁹ illas expugnẽt. Adde quòd his tẽporibus,propter maximos in vitę ratione errores,multa cumulatur copia prauorũ humorum, qui toto ferè morbi decursu orgasmũ habẽt: & licet hi humores non turgerent, cum naturam magna copia suffocent, minusq; malũ sequatur ex naturæ perturbatione,quàm sit bonum quod nascitur ex subleuatione maximi oneris, purgare oportet: nam quod reliquũ est faciliùs natura superat. Ad hæc ex aph. 21.l.4. *variorũ colorum excremẽta melius est duci cathartico,quã spõte*.Præterea fluxus exci-

excitantur symptomatici in morbis acutis,quos optimum est medicamentis iuuare, si ortum ducant ab obstructionibus venarum meseraicarum,& ab irritatione naturæ,vt dictũ fuit. Ex quibus concluditur posse adhiberi varia remedia ante crisim:quod potest etiam hoc cõfirmari exem plo,si humores rapiantur in caput, quo illos deriuemus, & diuertamus , eodem die poterimus adhibere clysterẽ, sanguinem detrahere,cucurbitulas applicare,venas hypoglotidas aperire, modo vires ægri valeant,nõ omissis frictionibus extremitatum:& ligaturis dolorificis.Ergo Galenus intellexit de remediorum multitudine,sine vlla necessitate apposita, vt erat in more Medicis sui temporis factitare. Quare si ex vsu ægri sit,poterimus multa simul adhibere remedia,aut repetere:modo ea solemnia non sint.

## *De remedijs extraordinarijs.*

## CAP. V.

MOrbi curantur remedijs ad pharmaciam,aut Chirurgiam , aut ad

victus

victus rationem, siue diætam pertinentibus, quæ propria appellantur Medicorum remedia: præter quæ multa extraordinaria vsurpantur, qualia sunt vota, præcationes, Dæmonum præstigia, suffigurationes astronomorum, & ea omnia quæ imaginationem cōmouendo vim remedij obtinent.

Vota, & precationes in morbis sanādis non tantùm catholici approbarunt, quorum Ecclesia quotidie in ægrorum salutē fundit preces Deo, sed & Hipp. qui libro de morbo sacro scribit *si quid contingat aliquem pati, oportet cupere id à Deo purgari & purum effici. Deus nāq;*, inquit, *est qui maxima, ac sceleratißima peccata purgat, & liberatio nostra existit.* Et lib. de insomnijs *in morbis Deos inuocare conducibile est imprimis; & oportet ijs inuocatis manū insuper operi admouere, in quo opere numen est.* Et in libro de elegantia Medici scribit, *omnes morbos, quos medicina vincit, ope Deorū vincit*: omnes in morbis opem diuinam facilè implorant, vota multa faciunt: poenitere autem, & peccata fateri, quo gratia diuina eorum

rum mentibus illucescat, morbos sanatura, pauci volunt: hoc enim nescio quid parum deuotis horroris adfert, quod mortis cogitationem adferat, cuius memoria, vt & reliquorum nouissimorum, à peccatis nos abducit.

Præstigia dęmonum sunt euitanda Christianis, nullumque commercium cum illis habendum est, Christi iussu. Tamē reperiuntur infiniti propè, qui vt possint recuperare rē amissam ad Ariolos cacodæmonum Ministros confugiunt: quid eos sanitatis causa facturos existimandū est? De configurationibus astronomorum ita loquitur Ptolomeus sententia 9. centiloquij, *vultus huius mūdi inferioris subditi sunt configurationibus cœlestibus, atque ideo sapientes astrologi, quo imagines conficiant, aspiciant stellarum introitum in cœlestes domos, & tunc operabuntur.* Alhy Arabs com. in eam sent. multa experimenta recenset: quibus non esse fidendum disputauimus in libello cōtra astronomos gallico idiomate edito. Reliquum est, vt de ijs quæ imaginationis vi, sanandi potestatem obtinent, disse-

differamus.

Imaginationem magnam vim habere in noſtra corpora probauimus,cũ ageremus de maculis quæ in corporibus natorum conſpiciuntur ortis,à vehementi matris deſiderio, & imaginatione. Quocirca magnam in morbis vim habere imaginationem ingenuè fateri poſſumus.

Opinio,ſeu imaginatio quam æger de ſuo familiari Medico cõcepit,vtiliſſima eſt illi. Etenim ille (inquit Gal.) plures ſanat in quẽ plures ſperãt & cui cõfidũt: quod vt exequi poſſit Medicus de ſe cõcitare debet bonam opinionẽ doctrina, bonis moribus, & præſtantiſſimis artis operibus,non ad ſuperbiam,& faſtum, vt plerique ſolent, ſed ad ægrorum ſalutem,& ad Dei gloriam:quod vt aſſequi poſſit conſulat Hipp.lib. de Medico,& de elegantia Medici.

In alienationib⁹ mẽtis Medicus debet ægrorum opinioni,& imaginationi ſeſe accomodare. Deinde ingenioſè, & prudenter exogitare illa quæ eum poſſunt diſtrahere ab opinione concepta.

Ea ratione Philodotus Medicus capiti eius, qui caput amputatũ sibi esse credebat, pileum imposuit plumbeũ, cuius grauitatem sentiens, caput se recepisse putauit. Aliqui affectus curantur commotis subitò animi passionibus: vt singultus repentino aliquo terrore sedari notissimum est in sanis. Podagra laborantes,& paraliticos subito aliquo incendio,ruina ædificij,aut metu occisionis curatos legimus. Noui vetulam quæ diu hemiplegia in lecto correpta decubuerat in villa turris Seoni ad littus Massiliense,quæ audito rumore aduentantium Turcarum è lecto confestim surrecta,ad turrim quæ erat proxima se vltrò contulit, scalamque sexaginta graduum scandit, vt mortis, aut seruitutis periculum euitaret. Ferunt Cardanum post celebrata omnia remedia quæ ad sanguinis profluuium sistendum conferre posse videbantur, timore mortis incusso,ægrum profluuio sanguinis, & mortis periculo liberauisse. Multa suadentur ab imperitis ægrorum corporibus apponenda, quæ si caco-

ſi cacodæmonum opera non fuerint comparata, ea debet permittere Medicus, vti ſunt appenſiones ſacrarum rerum, quæ virtute diuina proſunt.



*De regulis generalibus methodi medendi.*

## CAP. VI.

TOTA ferè difficultas curationis morborum in methodo conſiſtit. Quilibet enim ædificij materiam inuenire, & congerere poteſt: ſed congeſtam diſponere, ſolius eſt artificis periti. Remedia innumera paſſim reperiuntur: verùm illa methodicè diſponere is tantùm nouit, qui regulas methodi ad vnguem tenet. Certè quid agendum ſit indicantia demonſtrant: quo autem ordine in agendo ſit progrediendum regulæ methodi patefaciunt, quæ pendent ex eorum relatione quæ ad primũ aliquod tanquam ad ſcopum referuntur: vt in medendo, quia vltimus ſcopus eſt ſanitas, remedia ſuum obtine-

bunt locum,prout faciunt ad sanandũ: quam ob causam in hoc capite aliquot describemus regulas, quibus in medẽdo methodicè, quasi manu ducemur, ideſt, in diſponendis certò ordine remedijs.

Quarum prima eſt,generalia remedia,particularibus,& topicis ſunt anteponenda.Generalia vocamus remedia, quæ pertinent ad totum corpus. Particularia verò quæ partem ſolam reſpiciunt:ſecus enim qui faceret,ad locum affectum,maior copia materiæ attraheretur vt ſi iecur affectũ eſſet, & illi imprimis topica remedia applicarentur, attraherentur ad illud humores corrupti,qui augerent morbum.Conceditur tamen aliquãdo vt ſimul,& ſemel præſcribantur generalia remedia cum particularib⁹, vel topicis, vt in vlcere meatus vrinarij, à pituita ſalſa nato,cum ei præſcribũtur generalia remedia, poteſt etiam parari eodem tẽpore iniectio ex lacte, vel decocto hordei ad demulcẽdam acrimoniam vrinæ, doloremque ſedandum. Quod etiam interpretari debet

debet quoties causa morbi, & læsio nõ sunt in eadem parte, vt in affectibus per consensum. Siquidem caput doleat per consensum ventriculi, aut aliarum partium vt pote vteri, renum, iecoris, poterimus simul generalia præscribere remedia, & capiti per consensum affecto etiam remedia applicare. Cum verò causa læsionis, & læsio ipsa sunt in eadẽ parte; semper non possunt simul exhiberi omnia remedia, vt de iecore inflãmato superiùs dicebamus.

Secunda, Gal. scribit si quis egeat purgatione, & sanguinis missione; à sanguinis detractione auspicandum esse curationem neminem latet. Auicennas cap. de curatione synochi putris apposuit cautionem, nimirum sanguinis detractionem inprimis necessariam esse, nisi adsit repletio vomitiua, vel nauseatiua, idest, nisi ventriculus prauitate peculiari humorum laboret: nam venæ exhaustæ sanguine vitiosos attrahunt humores, è ventriculo, ideo tunc temporis purgatio, sanguinis detractionem antecedit: hæc autem regula ita proba-

ri poteſt, Sanguinis detractio aufert obſtructiones, ex quo fit vt medicamentũ faciliùs per venas meare poſſit. Adde quod parte aliqua oneris, vel humoris leuata, medicamentum ſubſequens faciliùs humores corruptos excludit.

3. Regula. In obſtructionibus à venæ ſectione auſpicandum eſſe ſcribit Gal. cap. 4. lib. 8. methodi medendi.

4. Regula. Si ex humoribus aliquis præter ſanguinem redũdauerit, aut cõputruerit, aut exigua fuerit ſanguinis boni ſubſtantia, aliorum humorum copia ſuperante, tum primùm ab alui deiectione incipiemus euacuationem. Id confirmatur eiuſdem ſentẽtia in lib. de medicamẽtis facilè parabilibus, in curatione coxendicis; *in cura doloris* inquit *coxendicis ſi multus fuerit infeſtans humor, purgatione primò vtendum eſt humoris affligentis. Si verò plethoricum fuerit corpus, primum omnium ſuſcipienda eſt phlebotomia.* Cęterum cum melancholicus ſuccus in expurgatione propter craſſitatẽ ſit cõtumax, à venæ ſectione eſt incipiendum. Quo conſilio lib. 2. ad Glau-

conem

conem Galenus in curatione Cancri,&
Elephantiasis ab ea auspicatur.

Quinta regula, Humores sunt primò præparandi, deinde purgandi ex Hipp. in aph. 22. l. 1. in lib. de victus ratione in morbis acutis. Nam qui purgãt crudos humores, duo inuehunt incommoda: primò calorem coquentem, & præparantem resoluunt: secundò mouent, & non purgant, variaque mala symptomata excitant.

Sexta. Ea sunt primò adhibenda remedia, sine quibus sequentia incõmodi aliquid afferent, sententia plurimorum praxim exercentiũ: vt clyster exhibendus est ante sanguinis detractionem, ne humores feculenti qui in intestinis stabulantur à venis exhaustis attrahãtur.

Septim. A remotione causę morbificę est auspicandum, nisi quid impédiat: vt quando violẽtia symptomatũ deducimur à causæ curatione, ad curationem symptomatis, ob periculũ imminens à symptomate: vt si in febre magna oriatur ingẽs dolor, relicta curatione causæ febrẽ excitãtis cõuertem⁹ nos ad dolorẽ

ſedandum, quia ab illo dolore maius impendet periculum,quàm à cauſa febris.

Octaua. Cum plures cauſæ ſibi inuicem ſubordinatæ morbum aliquem procreant,ducēdum medicationis initium à remotiori:vt ſi putredo cauſa febris extiterit: huius autem obſtructio, ob prohibitionem perſpirationis, ſiue euētillationis, primò obſtructio eſt auferenda; deinde putredo tollenda.

Nona. A benignioribus remedijs eſt auſpicandum, quādo diuerſorum graduum medicamenta ſunt ægris exhibenda,niſi morbi magnitudo nos cogat in principio vſurpare extrema remedia,cum vires ferre poſſunt.

Decima.In morborum,ac affectuum contemplatione inquit Gal. 7. meth. cap.12.primò perpendendum eſt,à quo diſcrimen ęgro maximè impendere videatur.Secundo loco quod ex his cauſæ rationem obtineat, & quæ ab ipſis efficiantur. Tertiò quæ ſanari ante alia poſſunt: ijs enim adnimaduerſis,ad id quod magis vrget, primum dirigi conſilium

ſilium curantis debet. Vbi verò aliud efficiens eſt,aliud quod ab eo efficitur, ipſa cauſa primò ſpectanda eſt. At vbi curari hoc ante illud non licet: ad id quod ordo dictat reſpiciendum eſt:vt ſi in hydropico vlcus fuerit natum, quia illud nõ poteſt curari ſuperſtite hydrope (nam hydropz ſemper humectat proindeque impedit exſiccationem vlceris,in qua cõſiſtit eius curatio)ab hydrope eſt auſpicanda illa curatio.

Vndecima.Cum plures cõplicantur affectiones, inquit Gal. cap. 9. libro 3. tuendæ ſanitatis,Commune conſilium eſt, vt ei quod ſuperat, & magis vrget, ſis magis intentus,nec planè quod reliquum eſt contemnas: proprium verò cum eo quod cõmune eſt, ab ipſis mẽbratim affectionibus eſt accipiendum.



## *Regulæ aliquot prudentis & veri Medici.*

## CAP. VII.

1. REgula.Ea bona quæ in opere practico medicinæ ex illis naſcun-

tur quę bene,& apposité fiunt,ita futura ab imperitis existimantur, ac si ea facta non essent. Quæ autem mala cōtingunt,artifici imputātur.Quare vituperij effugiēdi causa quilibet Medicus bene agere debet,potiusquā laudis spe.

2.Regula.Gal.lib.12. metho. meden. cap. 1. scribit *satius esse spatio curari longiore quàm breui viriliter mori: tuto itaque mederi oportet, & vires custodire: vbi quis vltra progreditur, crudelis exercet hominis officium, qui vna cum morbo vitam quoq; è medio tollit:qui verò cubātis delicijs subscribit eiusq; voluptatem non sanitatem sibi pro scopo assumit,adulator est Medicus.*

3.Regula.Gal.cap.9.l.11.metho.scribit, *in quo ægro omnino desperata est salus, imprudentis consilij fuerit apud vulgares infamare remedia, quæ multis fuere salutaria.* Celsus in opere medico idem explicat,*infamāda nō sunt, inquit, remedia,quæ multis auxilio fuerunt*: in quo enim desperata sunt omnia,mors prædicēda est: & à remedijs abstinendum.

4.Regula.Cum verò spes aliqua salutis adhuc elucet *satius est experiri aliquod reme-*

*remedium, quàm nullum: nam melior est dubia spes, quàm desperata salus.*

5. Cũ verò aliquis morbi naturam ad amussim nõ habet perspectam, illa medicamẽta sunt vsurpãda, quę etsi morbum non tollant, & iuuare non possint, saltem non noceant.

6. Regula. Cum morbus est incurabilis, longus tamen futurus, ea sunt adhibenda medicamenta quæ si morbum non auferant, saltem possint mitigare, & spe falsa mœrorem ægri leuare.

7. Rhasis in suo cõtinente, inquit *satius est* paulo vehementioribus auxilijs naturę periclitãti opitulari, quã benignioribus vtẽdo medicamentis, proditorem naturæ haberi, cùm scilicet vires ferãt: nam in earum debilitate nũquam magna remedia sunt adhibenda.

8. *In corrigẽdo malo habitu corporis, aut partis alicui⁹, nũquam validis est vtendũ remedijs, sed benignis, calorẽ excitãtibus durabilẽ, nõ exsufflantib⁹ flãmam mox euanescentem.*

9. In lõgis morbis optima victus ratio pl⁹ prodest, q̃ exhibitio medicamẽtorũ atq; in lõgis morbis diuersa remediorũ

genera

genera sunt perscribenda: cum enim in illis fastidiosi sunt ægrotantes noua remedij forma oblectantur, & Medici sagacitatem suspiciunt & admirantur.

10. Regula. Continuo morbo, & perẽni, cõtinuum debetur remedium: quale est emissarium siue fonticulus.

11. Virium corporis conseruatio præstantior est, quàm morbi depulsio.

12. Cum nimis tardè remedia adhibentur nihil aliud fit, quàm quæ tempore suscepta contulissent, seriùs applicata non conferant, & infamentur.

13. *Omnia secundum rationem agenti, si secundum rationem non succedant, non protinus est transeundum ad aliud, stante eo quod ab initio visum fuit*, ex aph. 27. lib. 2. nam si certa scientia, aut satis firma cõiectura morbus sit cognitus, recta ratione instituitur curatio: quare si morbus non imminuatur, non sunt contraria siue diuersa experienda remedia, modo morbus idem perstiterit: causa namque permanentiæ morbi sita est, non in causarum ignoratione, aut parum docta remediorum applicatione,

sed

ſed in morbi pertinacia: quare in ijſdē remedijs perſiſtendum eſt.

14. Si verò quis aſſucuerit alicui medicamento, ita vt ab eo non moueatur, ad aliud ſimile eſt facienda mutatio.

15. Cum verò leui coniectura, & infirma, morbus eſt cognitus, vti in principio luis venereæ naſcentis, ſi priora remedia longo tempore adhibita non profuerint, ad contraria, vel diuerſa eſt facienda mutatio.

16. Multo melius eſt paucis tutò ac fideliter medicari, quàm multis incertè & negligenter.

17. Vbi quis ex laudabili corporis habitu in vitioſum & penitus contrarium eſt lapſus, id ex maximis cauſis ortum eſſe putādum: ac propterea arduā omnino prouinciam ijs parari qui huiuſmodi corpora ad priſtinum ac naturalem ſtatum perducere nituntur.

De

## *De rebus Medicorum artem exercētium ex Hipp. l. de præceptionibus.*

## CAP. IX.

HIpp. li. de præceptionibus, de Medicis praxim exercentibus hæc ſcribit. *tolerabile malum videretur, ſi mercedem tantũ caperent hi qui Medicinæ opera malè adminiſtrant: ſed peius cenſeri debet, quòd nulla culpa ægroti medici imperitia accedat, perniciem ei allatura, cui ad intẽtum non ſufficiens videbatur morbi violentia. Probandus ille eſt magis praxeos exercẽdi modus, qui fit cum vtilitate, & manſuetudine, quàm cum pollicitatione, & excuſatione ſiniſtri euentus: ſolent namque pollicitores, & nugiuenduli ſiniſtros euentus, quos ipſi pepererint excuſare, cum nihil tamen prædixerint. Medicorum plerique malis nauium Gubernatoribus mihi ſimiles videntur, qui ſi tranquillo mari nauem regant nemo eos peccare deprehendat: quòd ſi eos vehemens ventus aut tempeſtas oppreſſerit, iam omnibus manifeſtè conſtat eorum imperitia, & culpa nauem fuiſſe perditam. Ad hunc ſanè modum improbi plerique Medici dum*

dũ leuiter affectos curant, in quibus vel grauißimi errores cõmißi nihil periculi pariunt (cum multi huiusmodi morbi ac longè frequentiùs, quàm grauiores hominibus contingant) in his quidem si delinquant, plebeos latent. Vbi verò in magnum, vehementem, ac perniciosum morbum inciderint, ipsorum errores omnibus sunt cõspicui Bonus Medicus suæ æstimationis potiorem rationẽ habere debet, quã vtilitatis: satius namque est à morbo liberatus exprobare, quàm malè affectos emungere. Quicunque enim est verus Medicus, is fide magis quã seueritate in medendo vtetur: quandoq; etiã gratis curare debet, vel ob gratiæ memoriam, vel ob præsentem existimationem: quòd si occasio exercendæ liberalitatis ferendæq; opis se obtulerit, vel peregrino, vel egeno, hisce talib[9] maximè opitulari debet. Si enim adfuerit erga homines amor, aderit etiã erga artem. Licetque ægri sentiant morbũ, quo afficiuntur esse lethalẽ, tamen propter Medici probitatem, ac humanitatẽ sibi persuadẽt se sanitati restitui posse. Nec verò se indecorè ille Medicus geret, qui in rei præsentis angustia, circa ægrum aliquem, imperitiæ tenebras circũfusus

altos

*alios quoq; accersiri iusserit, quo ex communi consideratione res circa ægrum inquirantur, ac cognoscantur, & illi ad præsidiorum facultatem operas suas conferant. Verus autem Medicus nihil unquam ex inuidia, vel maleuolentia proferet, alioqui impotens videbitur: nam qui forensem quæstum sectātur his moribus præditi esse solent*, quibus ab Hip. dictis Scribonius Largus addit, *inuidētiæ crimen malum est. Quod cum omnibus animantibus inuisum esse debet, tum præcipuè Medicis, in quibus nisi plenus misericordiæ & humanitatis animus sit, secundum ipsius professionis voluntatem, omnibus* [illegible]*, & hominibus inuisi esse debent.*

EXER-



# EXERCITATIONES TRES, IN QVIBVS EXPRIMVNTVR IN SPECIE ea quę in genere priùs explicata sunt.

## *DE PHRENITIDE.*

### EXERCITATIO I.

MENTIS alienatio perennis cum febre continua phrenitidem significat. Ea quæ fit per consensũ separatur à primaria, signis in generali methodo descriptis. Illa autem quæ generatur à diaphragmate inflammato, licet febrem cõtinuam sociam habeat, & ferè perpetuam mentis alienationẽ, in hoc tamen distinguitur à primaria, quòd quæ in cerebro primariam sedem occupat, paulatim producitur, magnã, & raram respirationem comitẽ habeat, & eam præcedant vigiliæ, dolores capitis, febres acutæ, oculi squalidi, acres

lachrymæ.In ea autẽ quæ in diaphragmate consistit,symptomata phrenitidis de-repente oriuntur,phrenitis est multo mitior,frequẽs respiratio, quòd parua sit cum vsu aucto,debeatque defectus magnitudinis compensari frequẽtia,cum celeritas non satis sit, reuulsio hypochondrij sursum facta in principio morbi.In primaria verò affectione, morbo iam progresso,& consistente,fit illa reuulsio , præterea vox acuta fit à contracto thorace.

Causa proxima phrenitidis primariç est inflammatio meningum cerebri. Antecedens multiplex, sanguis biliosus,bilis mera,& atra bilis, quorum signa ex generali capite de signis humorum præter naturam quærenda sunt; quædam tamen hîc apponenda ob febrem adiunctam.

A bile phrenitis orta habet comitẽ linguam asperam quæ morbi progressu fit nigra : rixa continua à vellicatione meningum cerebri.

Flaua bilis in atram progressu temporis degenerat adustione, cuius con-

uersio-

uersionis signa sunt, rixæ perpetuæ feroces, festucarum inanis perquisitio, oculorum peruersio ferina, denique talis mentis alienatio, in qua calcitrat æger, clamat, pedibus impetit quoscunque, mordet, & putat familiares amicos sibi esse coniuratos hostes, quæ non tãtùm morbi causam significant, sed magnitudinem affectus ostendunt. Neq; tantùm est magna phrenitis, symptomatis enumeratis, sed & partis primariæ, nẽpe cerebri affectu.

Cum sanguis causa est phrenitidis adsunt signa dominantis sanguinis, in somnia perspicua, & ordinata. Præterea risus, & hæc durabilis non est: nam citò ex sanguine inflammato fit bilis, aut atra bilis: hæc signa paruam illam ostẽdunt, & mitem: *Nam desipientiæ cum risu minùs molestæ sunt*, ex Hipp. aph. 53. lib. 6.

Omnis phrenitis cum ferina alienatione mentis ab atra bile nata maligna est: eius præterea malignitatem ostendunt albæ deiectiones, à bilis priuatione, quę tota rapitur ad cerebrum, ignauia, torpor, rigor, fletus perpetuus, ri-

xandi perpetuum desiderium, sanguinis è naribus stillicidium nigrum.

Morbus est acutissimus, celerrimus namque, continuus, & cum periculo. Tamen Hip. 3. epidem. quosdam phreniticos ad vigesimum peruenisse diem, alios ad vigesimum tertium, & vigesimum quartum scribit: mutata morbi natura ex acuto simpliciter dicto in acutum ex decidentia.

Prognosis phrenitidis consistit in ea futura prædicenda, in mutatione in alium morbum, in morte, aut salute.

Phrenitidis futuræ signa à Tralliano hæc descripta sunt *æger insilit, somniorũ imaginationibus detinetur horrificis, futura se posse prædicere putat, obliuiscitur eorum quæ dicuntur, respondet cum ferocitate, & iracundia, frequentem habet respirationem, pulsus paruos, & duros, & occipitio frequenter dolet.* Sed Hipp. alia profert prognostica grauiora: *Lingua aspera, & multum sicca phreniticæ,* ex coacis: per sympathiã cum cerebro æstu incandescente.

Item *contremiscere, ac stultè palpare manibus phreniticũ est,* inquit Hip. in iisdem coacis,

coacis, ex malè affecto cerebro læsisq; animalibus facultatibus. Quare aut iã adest phrenitis aut mox futura est.

Phrenitis potest mutari in conuulsionem,& tremorẽ, quorũ signa sunt palpitatio multa mẽbrorum à flatu, flatus verò à debili calore,stridor dentiũ non consuetus,oculorũ contortio,colli peruersio,bibere cum strepitu, ex coacis.

Conuerti etiampotest in apoplexiam aut sponte, aut Medici errore vtentis nimis refrigerantibus,& stupefacientibus medicamentis. Sponte naturæ fit quando frigida intemperies succedit calidæ,ob caloris innati dissipationem à calore præter naturam, quæ mortalis est.Cuius cõuersionis signa sunt, somnus, & torpor profundus. Auicennas existimauit posse cõuerti in hecticam: sed nomine hecticæ non est intelligenda febris hectica:sed hectica dispositio. hoc explicauit Gal comm.in sent.33.l.1. porrhetici,inquit, enim *in phrenitide ex bilioso succo ortum ducente, cum is succus in cerebrum decubuerit, principio quidem qualitate ipsius, nondum toti corpori cerebri*

*permixta, tumultuosæ fiunt desipientiæ: progressu verò temporis simile quidpiam contrahitur lanis, quæ tincturam receperunt: nam hæ tincturam retinent, non secus, ac proprium colorem & natiuum. Talis igitur cerebri veluti tinctura desipientiam hecticam habet, atque ob id affectio horum vt febrium hecticarum, praua est.* Signa huius permutationis prodit Auicennas, profunditatem oculorum, extenuationem totius corporis, paruum pulsum, & durum.

*Quæ in phrenitide memorantur insomnia, bonum denuntiant,* ex coacis prænot. Quia somnia sint argumentum somni: at ex somno conijcitur placatio phrenitidis: ex reminiscentia, memoriæ bona constitutio, quæ omnia in bonis ducenda sunt.

*In phrenitide albæ deiectiones,* priuatione biliosi humoris non per obstructionem ductus cholidochi ad intestinum delati, sed per raptum humorum in cerebrum: *& corporis exolutio,* non à madefactione principij neruorum, sed à dissoluta animali facultate motrice, *graue malum*

*malum est*, labefactato cerebro neruorum principio, à quo natura motus, & sensus commoda capiebat. *Sed lõgè grauius si rigor accesserit*, ex superioribus enim constat, ægrum esse debilem: *& rigor, ægro existente debili, lethalis.* Nec potest esse criticus hic rigor cum exolutione. Ergo longè grauius malum significatur.

*Phrenitici parùm, & rarò bibentes, idque cum strepitu: tandem cõuelluntur & contremiscunt*, rarò & parum bibunt, non irrigata parte illa in qua sitis sedes est, ab humore seroso labente, è superioribus partibus, aut per eam transeunte, sputando, vel excreando: sed deprauatione sensus communis, vnde rei molestæ sentio non excitatur, nisi rarò, quando accedit scilicet causa sitifera magna, quæ moueat phãtasiam ad desiderium humidi. Cum strepitu verò bibunt malè dispositis musculis faucium, & in officio deglutiendi laborantibus, ob siccitatem, & inceptam conuulsionem. Tremunt verò quia debilitatur facultas mouens, ita vt iam cum parte mo-

uenda æquali robore pugnet. Conuelluntur autem ob nimiam ſiccitatem.

*Egregij tremores phreniticorum, etiam malum denuntiant*, Nam tremor eſt ſymptoma cerebri alienati: à priuatione autem habitus denuò nō comparatur. Ergo mors neceſſariò conſequitur.

*In phreniticis linguæ obtremiſcentes, malum*, ex 20 ſent. prioris prorrhetici: indicant enim, vt ſcribit Gal. coment. in eū locum, imbecillitatē facultatis animalis. At omnis debilitas cuiuſcunque facultatis in malis eſt ducenda.

*Si in phreniticis cum perfrigeratione extremitatum adſit ſputatio, nigra vomuntur*, ex Hipp. ſent. 31. lib. 1. porrhetic. Sputatio quidem vomitus eſt prænuntia, inquit Gal. perfrigeratio autem extremitatum, ſiue ſuperficiei corporis ſignificat humoris vomendi qualitatem. Nam cum retrahat corporis calorem innatū ad ſe, malignus ſit oportet ille humor, & atrabilarius.

*Vrina alba, & tenuis in phrenitide mortis ſignum eſt*, inquit Gal. comm. in aph. 22. lib. 4. in quo etiam profert hæc verba.

verba. *Nullum vidi phreniticum in quo apparuerit vrina alba, & tenuis, qui conualuerit:* quod significetur raptus humoris biliosi totius corporis ad cerebrum à quo dissipãtur omnes facultates animales, vnde mors sequitur.

Crisis laudabilis in phrenitide fit per sudores: per profluuium sanguinis è naribus, quorum signa in generali prognosi quærenda sunt.

### *De indicationibus communibus seruandis in curotione omnis inflammationis internæ, ex Gal. cap. 6. lib. 13. methodi medendi.*

Communis, & prima indicatio omnis phlegmones est euacuatio materiæ in plegmone conceptæ: *nam morbi qui contingunt repletione curantur euacuatione* ex aph. 22. l 2. Sed distinguendum. Nam inflammatio aut fit, aut iam facta est. In ea quæ fit, indicatio est prohibitio confluentis humoris in locũ affectum.

Inhibetur autem commodè si causam ipsius fluxionis inuenerimus, quæ est duplex origine. Oritur enim aut ab ipsa parte phlegmone obsessa: aut ab alia, vel ab alijs partib⁹, vel ex toto corpore. Ex ipsa parte, quoties aut calidior facta aut dolore afficitur. Ex alia, vel ex alijs partibus, cùm vna pars mittit ad inflãmatam, aut plures, aut totum corpus. Verùm inflammatio, aut est internarũ partium, aut externarum: hoc loco de interna verba facere nobis est constitutum. Quæ phlemone, aut inflammatio adhuc in generatione est, eius causas priùs abscindere, quàm omnino generetur oportet. Eius verò quæ iam facta est, causas curare. Si ergo dolor adsit, ipsum sedare conuenit. Si nimia caliditas sentiatur, eam contrarijs expedit oppugnare. Si verò plethoricum sit corpus, detrahere sanguinem. Si denique adsit cacochymia eaque quiescẽs, purgare humores peccantes. Euacuationes verò fiant per reuulsiones necesse est. Quare si in partibus inferioris ventris inflammatio fuerit, deiectorijs medicamentis

mentis vti non conuenit, vt si in vrinarijs instrumentis extiterit medicamento diuretico, vel vrinas prouocante. Si in vtero, medicamento menses ducente: sed potiùs vomitorijs. De sanguinis missione idem est intelligendum. Eodē tempore si necessaria sit repercussio, oportet applicare medicamenta repellētia. Si verò sanguis sit vehementer parti impactus, non est amplius repercutiendum, sed discutiendum.

## *De victus ratione.*

Victus ratio est instituenda contraria morbo: sed controuertunt Medici de aëris qualitate in phrenitide curanda. Alij namque expetunt aërem frigidum: alij temperatum quòd frigidus repellat adsitque febris cōtinua, & magna & fuliginosorū excremētorum copia. Verùm natura morbi spectanda est, & vnde maior accedit vtilitas. Certè maiorem consequimur vtilitatem ex refrigeratione cordis, pulmonum, & cerebri, quàm sit incommoditas nata

ex

ex pauca retentione fuliginosi excrementi: tectum verò caput esse debet. Adde quod repercutiētia in principio imperantur, vt postea docebitur. Quare in principio saltem aër sit frigidus oportet, in alijs verò temporibus, vt in statu, aut morbi declinatione, min⁹ frigid⁹, prout erit necesse. Parabitur ergo frigid⁹ respertione aquę frigidę, herbis, folijs frigidis, & alijs quę docuim⁹ ca. de cephalalgia. Cauendū est ōne suffumigium qualecunq; sit, quia replet caput.

Celsus arbitratur ex veterū sententia, illos in tenebroso aëre detinēdos esse: Asclepiades cōtrà, in luminoso: quoniam tenebræ exterrent. Verùm Aëtius scribit, Qui ad lucis splēdorem resipiscunt, in lucido degant aëre. At qui ad lucem in furorem excitātur, tenebrosa domo decumbant. Cui quidē sententię tādem suscripsit Celsus his verbis, *optimum est*, inquit, *vtrumq; experiri, & habere eum, qui tenebras horret, in luce: & eum qui lucem, in tenebris: & vbi nullum est tale discrimen æger si vires habet detineatur in loco lucido: si verò non habeat, in loco obscuro,*

*conti-*

*continendus est.* Siquidem in luce versari possit, picturis locus careat necesse est, diversam enim imaginationē inducūt picturæ, ex quibus mentis alienatio augetur. Contingit autem non tantùm ex cōspectu imaginum diversa cogitatio: sed etiā ex quibusdā lineamentis in parietib⁹ impressis: ex his enim debilitate quadā imaginatricis, fingunt ægri multas figuras, & varias quarū contēplatione animus defatigatur, & alienatio mētis crescit. Moveri nullo modo debet æger: sed poti⁹ in quiete teneri, aut ligari. Nam motus corpora siccat, & humores cōmovet. Quies verò humectat. Sōnus in hoc morbo omni artificio est cōsiliandus: de quo ca. de vigilijs. Proprietate tamen prodest ex Alexādro Benedicto, succ⁹ peucedani, cū aceto mixtus, & infusus capiti. Itē succus florū Anagallidis cæruleæ, mixtus aceto, ex eodem Benedicto. Idē inquit, Vetustiores Medici pecudū vtpote veruecis, lupi, vulpis pulmones calidos præferebant capiti deraso alligatos, & inueteratos terrestris erinascei carnes, & castratorum

testes,

testes,cum oleo rosaceo, & succo peucedani.

Euitentur omnia animi pathemata præter lætitiam mediocrem.Quare fugiatur conspectus inimicorum. Sũt qui musica harmonia placantur,quod experti fuimus in nobilissimo & generosissimo.D.de la Verdiere:qui cũ sæuissima & lethali phrenitide discruciaretur suauissimo concentu ita afficiebatur,vt phrenitide priuatus videretur: ea verò harmonia deficiente rursus in prestinũ furorem agebatur. *Moderatio in cibo adhibenda est: nam neque est implendus æger, ne magis insaniat: nec ieiunio vtique vexandus, ne præ imbecillitate in cardiacam incidat*,inquit,celsus:*neúe ieiunio calefiãt, & exsiccentur magis, ac magis humores.* Quare ptisana exhibeatur,si vires sint robustæ. In virium debilitate detur caro vitulina, hædina,pullorum, gallinæ, cum seminibus frigidis,& oxalide. Hęc sæpius frustra præscribuntur, quòd à mẽte captis respuantur obstinatè & cũ respuant omnis generis præsidia,cogẽdi sunt ad cibos, & ad potum aperto ore

ore instrumento proprio, naribus compressis, vt melius deglutiant. Exsiccantur enim, & dissipantur ob violentiam morbi. Hipp. lib. 3. cap. 9. de morbis scribit *humidas potiones phrenitico conuenire (excepto vino) quia vinum est phreniticis inimicum*: tamen in summa debilitate vinum aquosum dandum est, quod lib. de victus ratione in morbis acutis scribit Hipp. Hoc confirmat Trallianus cũ ait, *vinum, quòd sitim restinguat dare phreniticis audendum est, in quibus multæ vrgẽt vigiliæ, & vires imbecilles: febres autem nõ habeant vehementiam, & ardorem, & cõcoctio quædam appareat in vrinis: atque ijs præsertim dandum est, qui vino meraciore vti consueuerunt, & qui orificium ventriculi imbecillius, & frigidius habent. In his enim vires refocillat, mores ferinos in mitiores mutat, somnumq́; conciliat.*

Num autem aqua frigida phreniticis sit exhibenda quærunt Medici. Auicẽnas non esse dandam vehementer frigidam scripsit. Azarauius contrà, cui assentitur Rhasis li. diuisionum. Danda est aqua quæ non sit nimis frigida, quia noce-

noceret membris sua natura frigidis scilicet, meningibus: nec calida, quia nõ conuenit curationi. Quare aquam hordei præbere oportet, vinum granatorũ, aquã decoctionis radicis acetosæ mixtam cum syrupo de limonibus, aut alio simili. Et quoniam in phrenitide causa est sitifera, nẽpe calida sicca, licet sitim non percipiant vt plurimum, propter mentis alienationem, idcirco sitis sedandæ gratia, aliqua describemus remedia.

Aquæ laudabilis potus sitim sedat, quæ aqua redditur melior agitatione, transcolatione, seu crebra transfusione: motus namque tenuiorem illam redditum iniecto panis frustulo, tum leui coctura, vt terrestris portio separetur, tenuiorque aqua efficiatur. Nam diuturniori coctione pars tenuior dissipatur, nec pristinam suauitatem retinet: *hæc facilè permeat, nec retinetur in vẽtre, nec bilescit vt cruda*, ex Hipp. lib. de vict. rat. in acutis. Si nausea, aut animi defectio ægrum exerceat, vel sit compescendus humorum feruor maximus,

in ea

in ea debent coqui grana aliqua mali punici, aut arancij, vel eiusdem pulpa: vua acerba, aut baccæ berberis, aut radices oxalidis. Componuntur ad eandẽ rem multa medicamenta.

℞ aquæ rosarum ℔ j. sacchari clarificati ℥.iiij. bulliant lento igne, misceãtur cum duplo aquæ coctæ infrigidatæ: addantur syrupi de limonibus, de agresta, granato.um, acetosus, & similes. Decoctio seminum frigidorum maiorum sedat mirificè sitim. vt

℞ seminum frigidorum maiorum ℨ.ij. includantur nodulo, & coquantur in aqua, quæ colata frigida exhibeatur. Langius scribit laminam ex auro linguæ impositam ardorem & feruorem eius compescere. vel

℞ mucilaginis granorum psylij aqua tepida macerati, mucilaginis cytoniorum añ ℨ.iij. vini granatorum ℨ.ij. sacchari candi ℥.j.ß. amyli parum: conterantur in mortario: fiat lohoc: si volueris ad Iulep redigere, adde aquæ portulacæ, & endiuiæ añ.q.ß coquãtur lentè, deinde clarificẽtur. Capiat ℨ.iij vel iiij.

Portulacæ folia ſuper lingua detenta ſitim ſedant. Cryſtallus ore detentus idem præſtat,ſubinde frigida aqua immerſus. Lapis alectorius in caponis antiqui ſtomacho repertus, ſedat omnem ſitim.

Si plethora adſit cum virium robore;aut influxus in partem affectam fiat, præmiſſo clyſtere remolliente , aut ſi vrgeat neceſſitas, ſanguinis miſſio ſtatim, deplendi cauſa,aut deriuandi, aut reuellendi.

Verùm in eryſipelate meningum cerebri parciùs detrahatur,quàm in phlegmone. Qui enim in eo abſtinēdum omnino putant ſanguinis miſſione,aberrant. Nam proportione ſeruata plus educitur bilis quàm ſanguinis,quia tenuior eſt bilis: tum quia natura moleſtantem materiam,aut humorem foras excludere nititur: inſuper cum ſanguis ferueat, & bilis, detractione vtriuſque magis refrigeratur æger. Ad diuerſionem columbas viuas pedibus apponēdas cenſet Foreſtus:frictiones, & ligaturas extremitatibus:cucurbitulæ ſunt

etiam

etiam ex vſu.

Quæritur autem quæ vena ſecanda ſit. Aetius ſuadet mediam cubiti. Paulus ſimpliciter ex cubito ſanguinem detrahendum eſſe. Trallianus ex vena frontis, ſi non poſſit cubiti vena ſecari. Rhaſis, & Auicennas ex cephalica detrahendum putant. Alij baſilicam eſſe aperiendam cenſent. Nonnulli ſaphænam. Verùm illæ omnes venæ aperiuntur non ſine ratione ob diuerſas indicationes. Nam ex Auicenna, ſi maxima fuerit in capite ſanguinis redundantia, cephalica tundenda eſt: ſi minor, media, ſi parua baſilica. Sed ſatius eſt ex loco ducere diſtinctionē. Et quia phrenitis affectio eſt interna cerebri, baſilica eſt tundenda ob maiorē conſenſum: at ſi nulla poſſit aperiri in brachio propter ægri ferocitatem, tundenda eſt vena frontis. Vena autem ſaphæna aperiēda eſt cùm menſes ſuppreſſi, aut hæmorrhoides ſūt cauſa antecedēs videat nū ita dicendū antecedēs phrenitidis.

Non omittendum, ſi hypoglottides, ideſt venę linguę poſſint aperiri, earum

apertionem maximum afferre commodum,post generalia remedia.

De tempore venæ fecandæ ftatuendũ eft, vt defcripfimus capite generali. Oportet verò paruum foramẽ efficere metu effluxionis fanguinis.

De purgatione verò licet Græci nullam fere mentionem fecerint,quòd carerent benignis medicamentis quibus nos abundamus,nam vehementia medicamenta non conueniunt: Arabes verò benignis cholagogis educendos effe biliofos humores fcribunt, vt caffia,tamarindis, fyrupo rofarum folutiuo electuario lenitiuo, diapruno fimplici,& fimilibus. Nam licet phrenitis fanguinea effe poffit,femper aliquid bilis habet admixtum:quare in principio morbi, poft fanguinis miffionem ℞. rhabar. electi infufi in aquæ endiuiæ, ver cicho. vel portul. ʒ. ij. expreffioni adde lenitiui Nicolai ℥. j. fyrup. rofarũ folutiui ℥. ij. fiat pot⁹, exhibeatur. Deinde præparetur iulepis,fyrupis, & apofematibus defcriptis capite de intemperie cerebri calida. Si fuerit biliofa ijfdẽ

purge-

purgetur,additis tamarindis. vt ℞. lactucę,endiuię,scariolæ,cichorij ana.m. j.betonicæ m. ß. seminum frigidorum maiorum ʒ. iij. florum violarum nenupharis,rosarum añ.pug.ij.prunorũ accidorũ ℥.j.fiat decoctio:in colaturæ parte vna infunde rhabar.electi ʒ.j. ß.expressioni adde tamarindorum ℥.j.syrupi rosarum solutiui ℥.ij.Sũt qui ęgrè purgãtur, quibus cum superioribus exhiberi oportet diapruni solutiui ℥. ß. ad summum.Diacrydiata enim inflammationibus præsertim internis infesta esse solent.Si bilis,temporis progressu,vertatur in atram bilem, superiori decoctioni adde senę orientalis ℥. j. vel. ℥. j. ß. epithymi ℥. ß. anisi, fœniculi ana. ʒ. ß. paretur vt descriptum est.

Quo tempore applicantur remedia generalia, oportet capiti applicare repercutientia, iudicio omnium praxim exercentium. At diximus in magnis febribus nõ esse vtendũ repercutientibus cerebro applicatis, ne fuliginosa excremẽta retineãtur.Respõdemus, in phrenitide in qua omni artificio somnus est

conciliandus repercutientia conuenire quia plus afferunt commodi quàm incommoditatis, admiſcendo ſemper ea quæ corroborant cerebrum.

In augmento morbi reſoluentia medicamenta ſunt miſcēda repercutientibus diſpari quantitate. vt ℞ olei violati ℥.iiij. chamomellini, anethi añ.℥.j.ß. miſceantur,& capiti applicentur.

In ſtatu, æquali pondere vſurpentur.

In declinatione ſola reſoluentia, vt oleum chamomellinum ſolum, anethinum, fœniculi per infuſionem, aut decoctum aliquod cōueniens. Ergo tempore incrementi ℞ folliorum lactucæ, oxalidis, cichorij, origani, calamenti, betonicæ, ſtæchados añ m.j. ſeminum papaueris albi, cucurbitę, aniſi, fœniculi añ ʒ. iij. florum roſarum, anthos violarum, nymphææ añ. m. ß. fiat decoctio pro fomētatione capitis. Maior autem debet eſſe quantitas reſoluentium, propter aquæ frigiditatem in qua fit decoctio. In declinatione, ſola calida ſunt vſurpanda. Diſcuſſa omnino materia, metu intemperiei relictæ, oportet vti medi-

medicamentis quę descripsimus ad intemperiem cerebri calidam & siccam depellendam.

Phrenitici, quòd mente laborēt, vrinam retinent, nec expellūt. Si ergo vrina retineatur, prouocanda est ijs remedijs quæ extrinsecus apponuntur, aut sumuntur. Oportet autem diuretica calida euitare, ne malum augeatur. Quare exhibeantur semina frigida, nimirū maiora, vel minora gummi prunorum cum decoctione seminum, vel cum aquis ononidis, saxifragæ, cristæ marinæ. vt

℞. Seminum frigidorum maiorum ℥.j. decoquantur, in colaturæ ℥.vj. Dissolue gummi prunorum ʒ.j. vel pulueris cicadarū siccarum ℈ ij. vel. vitri crystallini calcinati vt artis est ℈.j. Possunt ijdem pulueres misceri cum eadem quātitate aquę ononidis, saxifragę, cristæ marinæ: extrinsecus verò plura applicantur. vt

℞. pinguedines cuniculi ℥.j. olei scorpionis ℥. ij. misceantur fusione, & vngatur regio vesicæ.

Fotus paratur hoc modo ℞. parietariæ, ononidis, ana. m. j. ß. petroselini cum toto m. j. fiat decoctio ad ℔. j. in qua dissolue olei Scorpionis ℥. iij. fiat fomentatio perinæo, vel sumini applicanda.

## *De pleuritide, seu dolore lateris.*

### EXERCITATIO II.

LAtus communi appellatione est tota costarũ regio dextra, & sinistra à clauib' ad hypochondria. Lateris ergo dolor dicitur à parte quam occupat, & à symptomate. Is multiplex est: alius namque generis apellationem retinet, & lateris dolor appellatur. Alius simpliciter pleuritis à parte affecta. Est nãque vera pleuritis inflammatio membranæ costas succingentis, pleura appellatæ. Quæ quidem detegitur lateris dolore punctorio, quo distinguitur à peripneumonia, febre continua, tussi, & respirationis difficultate & pulsu duro. Pungitur pleura ab humore illi infixo. Febris producitur symptomatica ob vicinitatem cordis. Tussis pẽdet à mole-

molestia humoris solicitantis,& stimulãtis partem affectam ad expulsionem. Difficultas respirationis nascitur à læsione spiritalium instrumentorum: duricies pulsus manat à menbranę affectu inflammatorio.

Pleuritis notha febrem vt plurimũ non habet comitem, vt quæ ortum ducat à flatibus, qui è parte in partem facilè mutantur.

Vera pleuritis, licet sit semper affectio pleuræ, tamen ratione situs, & loci materiæ dicitur aut interna, idest, impacta pleuræ, aut externa, quæ est in musculis intercostalibus.

In ea quæ est interna, præsertim cum ingens fuerit, ęgri non possunt decumbere in latus aduersum, quia inflãmatio pendula, distentione dolorem auget. In externa verò non possunt cubare in latus affectum, & contactum externum ægrè ferunt.

Potest etiã cõcipi pleuritis aut in superiore parte pectoris, in qua dolor pertingit ad clauiculas, aut in inferiore in qua ad diaphragma porrigitur. Duret*

doctissimus comm. in primum aph. cã. de pleuritide coacarum prognos. aliam instituit diuisionem pleuritidis ductam à venis per quas concitatur fluxio, nimirum intercostali, mammaria. Azygo & thoracica. Harum ratione pleuritis dicitur superior, inferior, antica, postica, & dorsalis.

Pleuritis alia est primaria, alia alteri morbo succedit: & ratione materię diuiditur in sãguineam, & biliosam: nam à pituita, & succo melancholico rarò nasci solet. Inquit enim Hipp. in aph. 33. lib. 6. *qui acidum eructant rarò pleuritide tentantur*. Hi autem sunt melancholici, & pituitosi, quiquidem duo humores sunt crassi: quare ęgrè possunt delabi in locũ in quo pleuritis fit, & concipitur.

Diuiditur etiam pleuritis, vt & multi alij morbi, in siccam, in qua nihil expuitur: & in humidam, in qua expectoratur aliquid.

Item in pleuritidem dextri, & sinistri lateris. Hę diuisiones faciunt partim ad remediorum applicationem: partim ad prædictionẽ, vt paulo post dicetur: quocirca

circa logicæ diuisiones dici nō debent.

Signa materiæ morbificæ vt plurimū trahuntur à sputis, quia sputa sunt signa epigenomena, siue symptomata post morbi speciem nata, in pleuritide, nec statim apparent. In principio itaq; venari conuenit indicia ex alijs, nimirum, ętate, temperamento, excremētis alui, vrinis, victus ratione, anni tempore, & alijs, vt ex febris specie, & eius accidentibus.

Magnitudo huius affectus ducitur ex magnitudine doloris febris, & difficultatis respirationis Gal. lib. de constitut. artis, pleuritidem magnam esse scribit, quæ & clauiculæ, & diaphragmati dolorem communicat.

Mos eius dignoscitur ex epigenomenis, quæ consistunt potissimùm in sputi colore, odore, & consistentia, de quibus Egimus cap. de sputis in prognosticis, Stillicidium sāguinis in pleuritide malignitatis signum est. Significat enim irritationem naturæ non potentis expellere id totum quod noxium est, propter eius malignitatem. Item *bulla subliuida*

*uida initio morbi in lingua nata, qualis à ferro in oleo intincto*, in coacis prænot. *Si molles fuerint dolores in principio, quinto verò, vel ſexto die exacerbentur, pleuritis maligna eſt*, ex coac. Significatur enim fluxio noua, quam vires debiles ferre non poſſunt.

Motus ſigna in ſpecie petuntur à gradu magnitudinis,& malignitatis: quo enim morbi ſunt maiores,& maligniores,eo sũt breuiores,& acutiores,ab exortu ſputi, nam quo citiùs ſputa prodeunt,eo citiùs morbus finitur. Scribit enim Hippo.aph.12.lib.1. *In pleuritide ſi ſtatim initio ſputum appareat,breuem forè denunciat. Si verò poſterius,longam.Huius etiam conſideranda coctio & cruditas.*

### *Prognoſtica pleuritidis ex Hipp.*

Signa ſalutis ſunt facilitas expectorationis,quæ contingit robore facultatis motricis,& materiæ ſputi præparatione, & ductuum libertate: tum expectorationis celeritas: denique mixtio ſputi ex flauo & purulento, quæ ſignifi-

gnificant robur naturæ pellentis, coquentis, & miſcentis, ex prognoſt. & coac.

*Pleuritides bilioſæ, & ſanguineæ ſimul, maximè ſunt ſalutares*, quòd hæ materiæ facilè à natura ſubiugantur,& expellantur ſubactæ: *taleſque vt plurimum nono, aut vndecimo die iudicantur*, ex Hippocrate.

*Quibus pleuriticis initio interior pars linguæ intro ſuffuſa eſt, ſeptimo die iudicãtur. Quibus autem tertio, aut quarto, ad nonum circiter.* Lingua verò bile tincta, bilioſam eſſe pleuritidem oſtendit,atq; ideo acutam,& celerem.

Gal.comm.3.ad vlt.ſentent.lib.6.epidemion ſcribit *moderatiſſimas eſſe pleuritides in quib⁹ cruentum expuitur*, ob materiæ benignitatem.

Nonnunquam pleuritis ſolutione finitur,per inſenſilem perſpirationẽ,nulla facta tranſlatione materiæ morbificę in aliã partem: cuius ſigna exiſtunt virium robur,tenuitas materiæ,loci affecti raritas,vt in gracilib⁹, dolor extern⁹ muſculis infixus;doloris ĩminutio citra

expe-

expectorationem,reliquorumque symptomatum,nullo suborto malo.

*Sputum in pleuriticis, siquidem tertio die incipiat coqui vtcunque album, expuiq́; celeriùs absoluitur morbus: si verò post diem tertium, tardiùs*: ex coac. Conuertitur nonnunquam pleuritis in empyema, cuius cõuersionis signa à materię quãtitate,& tempore describuntur ab Hip. in aph.8.lib.5.& in coac.prænotionibus cum inquit, *Pleuritici qui 14. die non repurgantur supernè, fiunt empij.*

*Et quibus in principio morbi pleuriticis sputationes totæ purulentæ fiunt, si quintum diem euaserint, nec tamen multo leuius habeant septimo, aut nono, purulenti fieri incipiunt.* Dixit autem, si quintũ diem euaserint: nam in superiore sententiæ parte dixerat, *quibus pleuriticis initio totæ sputationes purulentæ sunt, hi vt plurimùm tertio, aut quinto die moriuntur*, ob vehementem humorum corruptionem quæ parit malignitatem, ex qua mors sequitur.

Cõmutatur etiam in peripneumoniam ex aph.11.lib.7. translata materia è loco

è loco priore in pulmones, ibique inflammationem committente, quæ cognoscitur priuatione doloris pungentis in latere, præsentia doloris grauantis in pulmone, quæ translatio funesta est: cum morbus acutus succedēs acuto sit lethalis.

Phthisis potest pleuritidi succedere, siquidem praua sit pleuritis, in qua abscessus ruptus sit, indeque natum empyema: cum enim diu æger saniem excrearit, iamque quadraginta dies excesserit: transitu saniei virulentæ per pulmonem, exulceratur pulmo, vnde phthisis.

*Quibus pleuriticis supra aures excitatur rubor*, ita vt sit parotidis metus, *& similiter incalescunt, venterq; turbatur biliosis excrementis, & grauiter olentibus*, à putredine, *vigesimo, aut quadragesimo die periclitātur*, facta epigenessi materiæ morbificæ ad caput, tum ad aluum, superstite priore foco, idest, empyemate: superstes autē est empyema ob perēnem materiæ morbificæ generationem. *At si diem quadragesimū superauerint seruātur.*

*Siccæ*

*Siccæ pleuritides*, inquit Hipp. *& sputi expertes, grauissimæ*: sputi quidem expertes dicunrur quando debent illius esse participes, non in principio, sed in alijs temporibus: sunt autem siccæ, aut quia cruda est materia, & firmiter partibus impacta, vel tenuis: aut quia pleuriticus est pusillanimus, qui metu doloris acerbioris, non audet cõmouere thoracem ad promouendum sputum: aut quia motrix animalis infirma est. Sunt autẽ grauissimæ, quæ propter cruditatem tales existunt: grauiores quæ à debili facultate motrice ortum ducũt. Cardiacis autem remedijs animus pusillanimi potest facilè excitari: viscida materia extenuari, tenuis incrassari. At facultas animalis ęgrè restitui potest. Ratio autẽ periculi est, quia à suppressione, aut vacuitate sputi fit maior tensio, & repletio, à qua augetur respirandi difficultas quæ auget contumaciam humoris expurgandi.

Spes tamen nonnunquam videtur elucere ex permutatione in alios morbos, vt in abscessus partium extremarũ.

Nam

Nam si fiat mutatio in peripneumoniã, & in parotidas, periculum vitare potest æger ad tempus, non tamen euadere.

*Terrificæ sunt pleuritides in quibus dolorifica sursum sublata sũt mala*, idest, symptomata nobilissimarum partium vicinarum, tum metu successionis, & trãsmutationis in phreniridem, quæ funesta esse solet.

*Corpora densa, & coacta celeriùs à pleuritide, & peripneumonia intereunt quàm quæ perspirabilia sunt.* Nam magna cõmoditas exoluendæ pleuritidis, & peripneumoniæ cõsistit in expiratione corporis rari, & meabilis. Non tantùm hoc animaduertendum in his morbis, sed ferè in omnibus. Quamobrem Hipp. in aph. 44. l. 2. pronuntiauit *natura crassos, & obesos citiùs interire quàm graciles*, perspirationis priuatione.

*Subliuida bulla in lingua intumescẽs qualis est ferri candentis in oleum immersi, difficulter exolutum iri morbum ostendit. Atque ipsa crisis 14. die venit, ac ferè sanguis expuitur.* Hac bulla significatur humorũ feruor, & quia subliuida est, feruore

mutatur in atram bilem, quæ difficiles morbos parit,& sæuos: & quia crassus, retardatur crisis:nec potest ferè nisi funesta in malignitate humorũ esse,quorum dominatu tenetur corpus.

*Inter pleuriticos quibus initio variæ sũt exputationes secundo,tertio die, aut quinto moriuntur.* Varias intelligit Hipp. colore,& consistentia, vt cruentas, liuidas, flauas,nigras,fœtidas,quæ in principio morbi nascuntur ex ruptione venæ in qua continebantur tales humores qui effusi separantur,& distinguntur. Moriuntur autem citò ob diuersas causas. Nam cruditas, & corruptio materiæ sputi varietate significatur. At illa sunt desperatæ salutis. Adde quod adest significatio diuersorum affectuũ: natura autem pluribus vincendis par esse non potest. Ad perniciem etiam ægri faciũt febris maligna,& summa respirationis difficultas. *Si verò excesserint hos dies,necdum illis sit melius, septimo, aut nono,aut decimo incipiunt suppurari.* Suppuratio quippe fit rupta vomica illa, & effuso pure per capacitatem thoracis, ex quo tabes

tabes oritur: nisi pus intra quadraginta dies ab eruptione repurgetur, vt explicauimus cap.de empyemate.

In vniuersum, si ad desperationem curationis per priuationem anacatharseos, & expectorationis accesserint si signa trium principum facultatū collapsarum,nulla superest spes salutis. *Atqui quibus pleuriticis multū in pectore sputum perstrepit,vnaq; facies est plena mœroris,& oculus icteritius atque caliginosus, sūt eiusmodi.* Ergo tales moriuntur. Minor probatur,nā ijs quibus in pectore multum sputum perstrepit, nulla adest expectoratio , quod sputi materia ferueat,& agiterur tantùm, non excludatur. Hoc autem incommodum pendet ex facultatis animalis debilitate, cuius est officium mouere musculos respiratorios ad expectorationem. Item facies plena mœroris nimirum cadauerosa à dissipato calore natiuo, & oculus icteritius, & caliginosus à bile quæ toto corpori dominatur, & ardet: tum à deperdito nitore, propter extinctionem caloris,& spirituum à quibus

oculi nitent: quæ omnia significāt collapsionem,& interitum omnium principum facultatum. Ergo, *quibuscunque pleuriticis,&c.*

Victus ratio instituenda est ductis indicationibus à parte, & à causa morbifica ex generalibus,& specialib⁹. Generalia explicata sunt suo loco. Si primis diebus nulla fiat anacatharsis, parum est dandum. Augenda autem est quantitas alimenti pro quantitate eorūm quæ expectorantur: vt explicatum fuit, cap. de victus ratione. Præbeantur autem ea quæ expectorationi sunt vtilia, qualia perhibentur, pectoralia moderatè calida humida, vtcunque leniētia. Vinum nullum exhibendum est, nisi vires sint debiles idque album quod sputum educat. Hauriat omnia tepida, nulla frigida: nam frigida pectori sunt inimica.

Somnus, quandiu dolor adest, non est expectandus: nam qui dormiunt parū respirant: at pleuritici magna egent respiratione ob incendium ab inflammatione natum, aut saltem celeri, & frequen-

frequenti, quam cum dormiendo exercere non possint, subitò euigilantur, ac si suffocarentur. Quare sedandus dolor quouis artificio, antequam somnus remedijs procuretur. Animi pathemata omnia vitet præter lætitiam.

In pleuritide curanda Hipp. lib. 2. de victus ratione in morbis acutis ita scribit: *Dolorem autem lateris, siue in principio fiat, siue postea, calidis fomentis experiri, soluere absurdum quidem non est*, in verbo experiri tota est sita difficultas quam volumus proponere. Num scilicet in omni pleuritide tentanda sit eius curatio per fomenta calida? Hoc non est rationi consentaneum. Nam ex Gal. in comm. illius loci, *phlegmone, aut est sine redundantia totius corporis, & tunc fomentis calidis, non tantum sanguinis aliquid euacuatur per verum halitum: verumetiã affectæ partes minimè distenduntur. Quare partes minùs dolebunt. At cum sanguis in phlegmone, vel etiam spiritus vaporosus ex calore generatur, tunc dolorem augeri contingit: sanguis autem non diminuitur propter eam, quæ in toto corpore est, humorum*

*redũdantiam*, nam pars quæ calore afficitur, nimirum fomentis calidis, plus trahit quã euaporet. Certè si nulla esset methodus inueniendi, & cognoscendi plethoram ipsam per signa, id fomentis esset tentandum; & quia vt plurimum non dignoscitur, iubet Hipp. tunc temporis tentandum esse priùs curare fomentis, quàm alijs remedijs: quod intellexit Gal. in commentario illius loci cùm inquit, *Cùm igitur fomenta calida dolorem non soluerunt, corpus totum insigni aliqua euacuatione curabis.* Hippo. paulo post scribit. *Verùm si fomentis dolor non soluatur, nec diutiùs calefacito: siccat enim illud pulmones, atque ad suppurationẽ promouet.* Verùm ante omnem euacuationem dolor sedandus est, ex Auicen. cap. 20. fen. 4. lib. 1. Quare in omni pleuritide erit priùs dolor sedandus fomẽtis quàm euacuandum. Tamen Galen. comm. in aph. 23. lib. 1. scribit, In doloribus vehementissimis maximum est remedium vsq; ad lipothymiam vacuare: nulla facta mentione sedationis doloris. Auicennas est intelligendus de purga-

purgatione, non de ſanguinis miſſione: nam purgantia medicamenta, præſertim ſi fuerint vehementia, humores commouent, & fluxiones, ex quibus doloris cauſa augetur. At sãguinis miſſio euacuatione humoris ſine commotione dolores ſedat. Quare cũ ſanguis eſt detrahendus priùs, non ſunt ſedandi dolores: ſed tantùm quando eſt purgãdum; aut ſaltem benignis medicamentis, vel remedijs euacuare oportet.

Sequitur vt diſquiramus num vena ſecanda ſit, vel dandum in principio catharticum Hipp. hac de re ita ſcribit loco citato de victus ratione in morbis acutis. *Si dolor ſignificationem ſui prabuerit ad clauiculam, aut grauitas in brachium aut circa mammam, aut ſupra ſeptũ tranſuerſum, ſecare iuuat venam cubiti internã, & non cunctari auferre ſanguinem vſque dum multò magis fluat rubicundus, aut pro puro, & rubro, liuidus.* Et rurſus paulo poſt *ſi dolor ſurſum penetrauerit ad clauiculam vel ad mammam, & brachium, ſecare oportet venam internam in brachio, quacunque partẽ dolor affligat. Auferre verò ſecũdum*

*corporis habitum, & tempus, & ætatem, & colorem, ampliusque confidenter, si acutus sit dolor, vel ducere oportet vsque ad animi deliquium.*

*Sin autem sub Diaphragmate sit dolor: non præstat autem sui significationem ad clauiculam, mollire oportet aluū, aut helleboro nigro, aut peplio.* At quo pacto hæc consiliari possunt cum ijs quæ paulo post tradit: nimirum, *quicunque inflammationes statim per initia morbi medicamento purgante soluere conantur, ij à distenta inflammataq; parte non solùm nihil adimunt (cùm non cedat quæ cruda adhuc est inflammatio) verùm etiam quæ morbo resistunt, & sana sunt absumunt, & contabefaciunt, ductoque ad imbecillitatem corpore, morbus superior euadit, qui vbi corpus vicerit remedium non habet.*

Galenus in comm. in eum locum ab Anatome rationem rimatur, quod scilicet venæ in posteriori pleuritide maiorem habeāt communitatem cum intestinis quàm cum venis cubiti: in priore maior est communicatio cum venis brachij. Hoc certè verum est.

Sed

Sed manet dubitatio quod hellebo-rus, & peplium violenta medicamenta educant, è partibus longinquis, quare symptomata mouent, & producũt quæ recensuit Hipp.

Valeriola soluit hęc argumenta, quia medicamenta illa deducunt, & trahunt à partibus inflammationi proximis, & non à parte affecta. Ergo non debebat Hippocrates pepliũ, & helleborũ præscribere, cum sint violenta. Puto ego, inquit, illum vsurpasse exempli gratia: cum reprehendat illos qui id tentabant perficere, quod medicamento fortiori poterãt pręstare. Leue ergo primùm catharticum est exhibẽdum, quo fiat diuersio, & translatio per intestina.

Doctissimus Duretus in coacis cõm. in sent. 19. capitis de pleuritide, scribit ista medicamenta mixta consocialia esse ad bene conuenienterq; purgandũ, veratrum quidem vacuando, hoc verò pepliũ discutiendo spiritus flatulentos: quæ dotes perspectę, & cognitę ab Hip. præceptore ipsum mouerũt, vt ea medicamenta pręscribẽda putarit, quod pręstan-

tantiſſima eſſent omnium pharmaca, quæ ipſe nouiſſet: nouerat autem plurima, vt non inopia, nec ignorãtia meliorum (quod vulgus Medicorum exiſtimauit) ſed ſingulari prudentia atque delectu ipſa præſcripſiſſe videatur.

Verùm eſt ne ſecanda vena in omni vera pleuritide? Hipp. ſent. 31. ſect. 3. lib. 6. epidemion ſcribit, *impeditio phlebotomiæ ijs qui cruenta expuunt pleuriticis*, ac ſi diceret, vbi in pleuritide expuuntur cruenta, vena ſecari non debet. Sed non tãtùm oportet ad excuſationem phlebotomiæ adeſſe cruentam expectorationem: ſed præterea eſt neceſſarium, vt citò in principio, & liberaliter, id eſt, quantitate magna fiat: tum careat omni defluxu, aut excurſu, quẽ febris ciet, omniq́ue coriſæ, & vrinarum bona ſit coloratio, vt ſcribit Duretus doctiſſimus comm. in coac. prænotiones.

Quæritur præterea, cum ſanguis eſt detrahendus, cuius lateris vena ſecanda ſit? Hipp. & Gal. & tota Græcorum ſchola eiuſdem lateris venam tundunt. Auicennas autem cap. 1. fen 10. tract. 5.

lib. 3.

lib. 3. in omni tumore præter naturam in principio iubet venam lateris oppositi ſecari,*& magis feſtinare ad auxiliandum, vt aperiatur vena ſaphæna oppoſita ſecundum longitudinem, & deinde detrahendum ſanguinem ex baſilica oppoſiti lateris ſecundum latitudinem. Et poſt aliquot dies poterit detrahi ex eodem latere.* Hanc ſententiam ſequitur Scaliger comm.in lib.Hipp.de inſomnijs. Cum Auicenn. tot celebrãdas imperet ſanguinis miſſiones,ſupponit pleuriticum valde plethoricum. Quod Rhaſis ſignificauit 9. ad Almanſorem c.de pleuritide ijs verbis,*ſanguis detrahatur ex baſilica eiuſdem partis,niſi totum corpus ſit valde plethoricum,tunc enim ex lateris oppoſiti baſilica eſt ſanguis deducendus.*Deinde aliam diſtinctionem conſtituit ratione temporis.*Si verò ægritudo iam per aliquot dies ægrum infeſtauerit,à parte dolente eſt detrahendus ſanguis.* Ad illud autem quod ab Auicenna ſcribitur de ſaphæna, intelligi poteſt de principio fluxionis in valde plethoricis, vt explicat Meſue cap. de pleuritide. Auicennas ergo noluit tundi ve-

di venam eiuſdem lateris, niſi poſt aliquot dies, nimirum poſtquã fluxio facta eſt, quòd putet hanc ſanguinis miſſionem non poſſe vllo modo reuellere. In quo errauit. Primò quòd licet vera ſit eius ſententia, cùm dixit reuulſionem fieri debere per contrarias partes, addendum erat propoſitioni per contrarias magis cõmodas, ex qua nimirum maior vtilitas deducitur. At inſcidendo venã brachij eiuſdẽ lateris fit detractio ſanguinis per eãdẽ partẽ: nã idem latus eſt. Hoc verũ eſt. Sed venę inciſio, ſiue vulnus ex quo elicitur ſanguis, eſt oppoſitũ parti cui inſidet inflammatio, licet non multũ diſtãs: neq; enim ſẽper maxima requiritur diſtãtia in reuulſione, vt probatum fuit cap. de reuulſione. Ergo oppoſitio in illa ſectione venæ adeſt.

At ſi æger ſit valde plethoricus trahetur ſanguis verſus partem affectam. Reſpondeo trahere quidem in principio cum in locum vacuũ ſuccedit ſanguis: tamen ſi fiat larga ſanguinis euacuatio, vt faciẽda eſt in magna plethora euacua-

euacuabitur is qui attractus est propè inflámationem,& in principio inflammationis etiã is qui extra vasa est exclusus quòd liquidus,& calidus sit. Neque metus est nouæ fluxionis ab attracto sãguine ex alio latere: nã venæ lateris oppositi exinanitæ larga sanguinis detractione, tum partes nutriendæ, ad se alliciunt sanguinem, & hac ratione quodam modo reuellũt. Adde quòd, si Auicẽnam sequamur, maior erit detrahenda sanguinis copia, cum maiore dissipatione virium, quia à lõginquiori parte, neque tam celeriter occuremus dolori. Postremò experientia, & omnium consensus doctiorum, multis seculis, probauit sanguinem ex vena brachij eiusdem lateris esse detrahendum.

Vesalius tamen, vt refert Hollerius, in sua praxi, detrahendum semper curabat ex basilica brachij dextri licet inflammatio latus sinistrum affligeret, quod vena azygos quæ nutrit octo, aut nouem spatia inferiorum costarum, nascatur ex dextra lateris venæ cauæ. Hollerius nititur refutare eius senten-

ſententiam,experientia ad id præſtandum impulſus, quadam imaginatione, valuulæ ipſius venæ azygos foris intrò clauſæ,qua prohibetur ſãguinis exitus. Satius erat detegere communicationem venæ thoracicæ, & intercoſtalis,cum ramis azygos, qua communicatione fit,vt dextra dextris, & ſiniſtra ſiniſtris magis conſentiant, ſitque breuior via. Quare cum adſit in tali ſanguinis miſſione oppoſitio,rectitudo, & conſenſus,corruunt omnia argumenta aduerſariorum : quæ cum ratione probata ſint,habent fautricem experientiã multorum ſeculorum cõtra vnius Scaligeri experientiam imaginariam.Ergo ex baſilica eiuſdem lateris ſanguis detrahendus eſt.

Quantitas ſanguinis præfinitur ab Hipp. varia,lib. 4. de victus ratione in morbis acutis: in illo enim mutationẽ ſanguinis inſtituit terminum euacuationis,quod perinde eſt, ac ſi dicret eo vſque eſt detrahendus ſanguis, quo ad ex affecta parte educatur.Nam incipiẽte phlegmone rubicũdior eſt qui prope phleg-

phlegmonem est, & in ipsa inflammatione, quàm in venis: iam verò inflammatione progressa, cùm sanguis extra vasa corrūpatur, liuidus ex ipsa phlegmone trahitur. Verùm ista mutatio difficilè à Medico percipitur, quòd liuiditas illa statim non appareat, sed postquā sanguis refrixerit. Quocirca si non appareat refrigerato sanguine, rursum erit demendum, si vires ferant. Sed hic terminus non potest semper animaduerti, præsertim quando tota sanguinis massa ferè corrupta est, tunc æquè liuidus est, aut corruptus qui primus fluit, atq; postremus: quare alia est suggerenda nota, nimirum viriū lapsus. Nam quoad vires ferunt detrahere oportet: cum incipiunt deficere, cessare conuenit. Nōnulli sanguinis missionis terminum sibi præstituerūt doloris sedationē: quocirca toties repetunt venæ sectionem quoad sedetur dolor. Verùm in quibusdam præsertim pituitosis, & melancholicis, etsi rarò contingat, vitam potiùs detraheres, quā auferres dolorē. Quare virium robur obseruandum potiùs, & mu-

& mutatio notanda, vti conuenit.

*De curatione pleuritidis.*

Secta vena in principio, & quandiu fluxio perseuerat, remedia quæ parantur ex floribus papaueris rubri, optima censentur, vt ℞. florum papaueris rubri m. ß. aquæ pimpinellæ ℔ ß. decoquantur ad ℥. iiij. & propinetur. Datur autem ex Rõdelletio decoctũ ex aqua pimpinellæ cum floribus supradictis ad ℥. iiij. paratur & ab alijs ex aqua scabiosæ eodem modo, & saccharo cando: verũ saccharum candum attenuat, quare satius esset adiungere saccharũ rosatum. Mathiolus meminit syrupi facti ex succo florum papaueris rubri valde vtilis, vtilior erit, si paretur cum saccharo rosato, quòd habeat vim sistendi fluxiones. vt.

℞. succi papaueris rubri depurati ℥. ij. sacch. rosati q. ß. fiat syrupus vt artis est, detur ℥. j. cum ℥. iij. aquæ scabiosæ, vel pimpinellæ. Hoc omnibꝰ præstãtius habetur ex Penna & Lobello ℞. radicum graminis canini ℥. iij. acetosę cum radici-

radicibus m.iij.medullę cardui fullonũ m.ij.cardui benedicti, ſcabioſæ,herbarum capillarium añ.m.j. paſſularũ mũdatarum ℥.j. Glycyrrhizæ. ℥. anizi ʒ. ij. ficuum.n.4.quatuor ſeminum frigidorum maiorum añ. ʒ. ij. florum cordialium & hyperici ana m.ß.fiat decoctio in aqua borraginis ad ℔.j.ß.cui infunde fermenti panis cibarij ℥. iij. coaguli ℥.ij.ß. thamarindorum ℥. j. expreſſioni diſſolue ſyrupi è ſucco vel infuſionibus papaueris rhcadis ℥.vj.pro v. doſibus.

Hæc remedia inſpiſſando retinent fluxionem, & quod in parte eſt digerunt. Rondelletius in hoc affectu curando meminit raſuræ dentis apri, & priapi tauri, quæ exiccant quod defluxit. Quare in principio non ſunt exhibenda,neque cum eſt expectorandum: illa enim nimium ſiccando retinerent ſputum : ſed in declinatione. Nicolaus Myrepſius Alexãdrinus præſcribit antidotum quam vocat myſterium ad pleuritidem, cum dolor vehementiſſimus eſt,nec ſedari poteſt alijs remedijs, quòd ſemel data promiſſis reſpondeat,

nimirum dolorem sedat,& regio morbo correptis,stomachicis,& iecinorosis succurat.

℞.stiracis calamitæ,castorei,piperis, croci,hyoscyami añ ʒ.j. formentur pastilli cum aqua calida,dentur nucis põticæ magnitudine. Dantur etiam cum aqua mulsa calida. Præscribi ergo debet ʒ.j.cum melicrati ℥.ij

Si præ debilitate vena secari nequit, cucurbitulæ scapulis admoueãtur cum scarificatione.vel si repetenda esset venæ sectio,& vires non ferrent,cucurbitulæ sunt applicandæ.Vena secta, si fluxio quieuerit,dolor verò perseueret,cũ non amplius adsit pletora,consilio Gal. fomenta,aut alia remedia conuenientia possunt adhiberi,si quidẽ spes fuerit dissolutionis materiæ,quæ potissimùm concipienda est in pleuritide externa, exigua,in corpore meabili, & raro: tamen metu nouæ fluxionis fortia attenuantia sunt vitanda in principio. quæ tamen in declinatione sunt vsurpanda. Sin procuranda materiæ concoctio, nã concocta dolorẽ non mouent meliusq;

exer-

excernuntur. Eodem ergo tempore parabitur materia ad expectorationem.

Ad materiam discutiendam vtitur Hipp. lib. 2. de victus ratione in morbis acutis aqua calida in vere, aut in vesica vase æneo vel testaceo adhibita. Item spongia molli magnaq; ex aqua calida expressa. Optimū autem esset aquę incoquere quæ discutiendi vim habent vt origanum, hysopum, chamædrim, chamępitim, anisum fœniculum, flores chamomillæ, rorismarini, stæchados. *Contegere autem oportet fetum linteo: ne vapor ad ægrotantis spiratum deferatur: nisi videatur hoc etiā vtile ad aliquid esse*, nimirum cum iuuat expectorationem, aut alio modo conferat. Fomenta alia sicca adhiberi possunt ex milio, & auena, quæ in sartagine parum calefacienda, deinde aspergenda vino, sacculoque includenda, & applicanda.

Linimenta possunt ad eundem scopum parari ex dialthea, & resumptiuo. Cataplasma præparatur à mōtano tale ℞. cimini pulnerati ℥. iiij. pinguedinis porci ℥. ij. succi caulium q. s. fiat cata-

plasma, & applicetur. Medici Aueniononenses ad eumdem effectum præstandum sequentibus vtũtur emplastris attrahentibus, & dissoluentibus, præsertim in pleuritide externa: quorũ vnum rubrum pro latere: alterum nigrum appellãt. Rubri huiusmodi est composito.

℞. Storacis calamitæ ℥. j. Iridis florentię ℥.ß. thuris ʒ.vj. macis, nucis moschatæ, cyperi, calami aromatici ana. ℥.j. caryophil. ʒ.ij. resinæ ℥.j. ß. ceræ rubræ gummatæ ℥.xij. terebinthinæ ℥. iij. fiat emplastrum. Nigri verò talis.

℞. Picis naualis ℥.vj. resinæ ℥.iiij. sulphuris ℥.j.ß. cerę nouæ ℔.j. florum chamomillæ ℥.ß. olei liliorum ℥.j.ß. pulueris cimini ℥.ij.ß. misce: fiat emplastrum. Miscent illa emplastra, & lateri apponunt, cum volunt attrahere materiam & dissoluere in externa pleuritide: pollent etiam facultate dolorem sedandi. In interna autem non æquè conuenit, quare ea quæ possunt coquere materiã potiora sunt, quale est.

℞. radicum altheæ, liliorũ añ. ℥.ij maluarum, violariæ, florum hyperici, cha-

memelli

mæmelli ana.m.ij.coque,cõtere & cribra, commixtis fermenti panis cibarij. ℥.v.farinę,seminis lini & fœnugręci añ. ℥.j.ß. olei amygdalini, olei violati ana. ℥. ij. fiat cataplasma parti dolenti applicandum. Præterea sunt quædam remedia quæ proprietate occulta iuuant, vt cinis priapi tauri datus ad ʒ.j.si febris remittatur,cũ vino,vel cum aqua mellita, aut hordei. Aqua cardui benedicti à proprietate mirè confert.

Cum autem materia morbifica varia sit,diuersa etiam parantur remedia. Biliosa materia paratur incrassantibus non frigidis,sed substãtiæ lentore.Nam refrigerãtia pectori sunt inimica.Quare decoctum pectorale exhibeatur in potu, quod vulgo ptisana appellatur, confectum ex passulis,iuiubis, liquiritia. Syrupus violarus, capillorum væneris,vngulæ cabalinæ in iuiubinus,de papauere, cum aquis conuenientibus misceantur.vt

℞.Syrupi violati,& capillorũ veneris añ.℥.j.ß.aquæ vngulę cabalinę,aut hordei ℥. v. fiat iulep. capiat bis in die vel.

 ℞.paſ-

℞.passulas,pruna dulcia,iuiubas añ. numero 20. quatuor seminum frigid. maiorum,bombacis, & maluæ añ. ʒ. ij. anisi, & liquiritiæ rasæ ana ℥. j. florum violarum,borraginis,buglossi ana.pug. j. fiat decoctio in ℔. j. dissolue syrupi violati ℔.ß misce pro tribus dosibus.

Looch paratur ad eumdem scopũ, præsertim quando materia biliosa incipit expectorari.vt

℞. Electuarij diatragacanti frigidi ℥.ß.sacch penidiati ʒ.10 syrupi iuiubini q.s.fiat eclegma.vel ℞.conseruæ violarum ℥. iij. pulueris diatragacanti frigidi ʒ. iij penidiorum ℥. j. ß. cum syrupo iuiubino:fiat mixtura qua vtatur sæpe.

In declinatione ℞. conseruæ capill. veneris ℥. j. ß. pulueris diatragacanti frigidi,&diairidis simplicis añ.ʒ.iij.sacchari candi ℥.ij syrupi de hysopo. q. ß. fiat Looch.

In pleuritide à materia frigida ℞. foliorum capilli veneris,adianti,linguę ceruinæ, vngulæ cabalinæ , hysopi, & enulæ campanæ ana.m. j. seminis anisi, & fœniculi ana. ʒ. ij. passularũ,iuiubarum,

tum ana. ℥. j. florum rosarum, anthos, buglossi ana.pug.ij.fiat decoctio:in collaturæ clarificatæ ℔. ij. dissolue syrupi de prassio ℥. iij. aut syrupi capillorum. veneris,& de prassio ana.℥.j ß.vel syrupi iuiubini ℥. iij.fiant tres doses. Iidem syrupi possunt vsurgari cum aquis pectoralibus calidis de hysopo, enulæ cãpanæ, capillorum veneris, vngulæ caballinæ, & fieri iulepia, vt artis est. Ex eisdem syrupis fit looch cum electuarijs,& pulueribus accommodatis.vt ℞. Diairidis simpl. ℥. j. pulueris marrubij exsiccati, aut herbæ reginæ, vel enulæ campanæ ʒ.iij.sacchari candi ʒ.ij.syrupi de prassio q ß.fiat looch capiat lingendo. In omni pleuritidis specie liniměta pectoralia cõueniunt, quæ parantur ex butiro recẽti,pulueribus,& oleis: vt ℞. butiri recentis ℥.iiij. pulueris iridis florentiæ ℥.j ß.croci ℥ ß. olei amygdalarũ dulcium aut violati q. s. fiat liminětum quo vngatur totum pectus: hoc lenit dolorem, materiam præparat, respirationem faciliorem reddit.

Si cacochymum sit corpus post seda-

tionem doloris,& nulla sit suspicio nouæ fluxionis, poterimus medicamenta benigna præbere cum decocto pectorali: vt manna, lenitiuum Nicolai, syrupum rosatum solutiuum.vt

℞. elect. Nicolai ʒ. vj. syrupi rosati solutiui ℥. ij. vel iij. mannæ ℥. j. fiat potio cum decocto pectorali. Si metus sit fluxionis ventris,à catharticis abstinebimus & vtemur tantùm clysteribus emollientibus.vt

℞.Decocti clysteris remollientis ℔. j.in qua dissolue cassiæ cum saccharo, & catholici ana. ℥. j. mellis,& olei violati ana.℥.iiij.fiat clyster. Atque hęc de pleuritide mitiori:in qua spes est concoctionis,& expectorationis. Sunt verò quædam malignæ,& mortiferæ, quales vidimus in Prouincia anno 1598.& alijs temporibus, quæ generabantur ex humore tenui virescente, in latere collecto,aut eò deffluente ex alijs partibus. Qui eo genere pleuritidis rapiebantur, omnes interierunt. Hoc deprehēdimus dissectis cadaueribus,& præsertim Berræ,in cadauere demortui iuuenis D.de Mon-

Montamar Pedemontani,qui cũ pleuritide vtriusq; lateris affligeretur, obijt crudelirer 5. morbi die: diſſecto cadauere,ſub mammis vtrinque reperta eſt vomica plena vireſcente liquido humore:quod etiam ſum expertus in alijs Huic pleuritidi ſectio vnicũ eſt remedium:cùm enim nulla ſuperſit coctionis,& mitigationis ſpes:materia ſectione extrahatur neceſſe eſt.

## *DE HYDROPE.*

EXERCITATIO III.

HYdrops eſt tumor alui præter naturam, aut totius corporis genitus ex aqua, flatu, & pituitа vt plurimùm mixtis,vitio hæmatoſeos. Inquit enim Gal. cap. 6.lib. 5.locorum affectorum, Niſi ad Iecur frigus trãſmittatur, aqua inter cutem ſubſequi non poteſt. Ex quo ſequitur, omnes tumores ventris præter naturam hydropem non eſſe: vt qui naſcuntur à ruptis vreteribus, à ſero non attracto, præ debilitate renum, aut non purgato propter renum, aut vreterum obſtructionem, aut alio quouis modo. Conſpeximus in

honesta muliere Domini Bertrandi Aquensis Medici docti,ac viri probi,quę iam viginti quinque annis laborat tumore ventris præter naturam, sine vlla suspicione hydropis,quòd sanguis, qui illi fuit sæpe detractus extiterit laudabilis : nec alterius causæ iam descriptæ adsit suspicio: sed potiùs cystis qua humor collectus contineatur.

Hydrops varijs diuiditur modis pro varietate partium, à quibus ducit originem per se,aut per consensum : alius namque est à Iecore,alius ab inani parte,ac lūbis,ex Hip. l. 2.prognosticorum nimirum à renibus, ventriculo, liene, intestinis:tum ex venis,secundum Aretæum : alius à cerebro ex Hippo. lib. de locis in homine,cū scilicet humor delabitur per spinalem medullam in ventrem.

Ratione materiæ, & modi tumoris, diuiditur in ascitem qui ex aqua fit, & veri forma apparet, in tympanitem, qui à flatu nascitur, & tympani modo percussus venter sonat : in anasarcam, à pituita in totum corporis habitum

sparsa,

ſparſa,à qua totum corpus intumeſcit.

Cauſa communis coniuncta omnis hydropis ex Galeno loco citato & ex cap.6.li.5. locorum affectorũ eſt deprauata ſanguificatio: deprauatur autem deprauato calore innato, refrigeratione,ſuffocatione,& diſſipatione à vehementi calore præter naturam.

Antecedentes verò multæ ſunt ſcilicet affectiones partium reliquarũ quæ iam enumeratę ſunt,pręterquã Iecoris.

Eius hydropis, qui ab ilibus ortum ducit,indicia ſunt ex Hipp. in coac. & in prognoſticis, *pedum tumor, diuturnum alui profluuium, quod neque vẽtrem inanit, neque ſoluit dolorem*, hoc ſignum eſt inſeparabile:pendet autem ille tumor pedum à pituitoſo excremẽto, quod ſuapte natura deorſum vergit à lõginquitate ſiue diſtantia à corde fonte caloris: quibus addere poſſumus naturam earum partiũ frigidam. Item alui fluor ſignum eſt inſeparabile. Affectis namque partibus,quæ ſunt in lumbis,& ilibus corrumpitur chylus: tum bilis gignitur à partium intemperie calida ſicca:&

ca:& quia illo fluxu materia morbifica non expellitur; sed ea, quæ tantùm generatur perenniter circa intestina, ideò ventrẽ nõ deplet, neq; dolorem soluit.

Hydropis nascentis ab intemperie frigida Iecoris, quæ succedit calidæ, signa existũt, febris magna præcedẽs, sitis inexplebilis, oris amaror, vrina rubicũda.

Si à frigore positiuo ortũ duxerit adest faciei color albicans, aut liuescens, nulla febris, pulsus tardus, excrementa pituitosa, temperies frigida, victus ratio, & tempestas frigida.

Signa verò illius quæ à cerebro originem trahit, hæc tradit Hipp. li. de locis in homine *siccitas partium anteriorũ*, narium scilicet, & oculorum: *oculi fiunt ex virentibus pallidi, itemq; reliquũ corpus, nihil expuit æger, etiam si multum fluat.*

Hydrops magn⁹ est morbus, partis obsessę pręstantia scilicet, Lecoris symptomatum magnitudine, & cacexia, siue *κακοχυμία*.

Tardus est morbus, frigidus quippe.

Signa futuri hydropis sunt cacexia, & omnes morbi qui vitiare possunt sãguificatio-

ficationẽ,aut per ſe,aut per conſenſum.

Præſentis hydropis quædam ſunt cõmunia ſigna prognoſtica: quædam verò peculiaria.Communia ſunt.

*Hydrops qui leuatus remedijs, integer renaſcitur,deſperatus eſt.* Nã ſignificatur intemperies relicta poſt euacuationẽ materiæ hydropẽ committẽtis, à qua rurſ⁹ hydrops renaſcitur.Cũ autẽ renaſcatur in ęgro debili,nõ ſi exiſtat deſperat⁹.

*Hydrops qui ſuccedit morbo acuto lethalis*,cùm ortũ ducat à calore natiuo penè extincto,per diſſipationem.

*Hydropico febriculoſo,vrina pauca,& turbulenta lethale.* Nam pauca vrina in hydrope vitio non caret, quia multa eſſe debet propter ſeroſi humoris copiam à debili hepate genitam, quæ ſi præterquàm quòd pauca eſt,etiã turbida extiterit,interioris perturbationis in venis indicium eſt,quam febris in cruda materia commouet:ab ea verò febre diſſipatur continuò calor natiuus, vnde mors.Paucitas verò vrinæ dãnatur magis in tympanite, quàm in aſcite: quia in hoc,ſerum transfertur ad abdomen: in tym-

in tympanite verò non item.

Hydropes qui ſuccedunt longis alui profluuijs, dyſenterijs, & quartanis febribus diuturnis, lethales ſunt. Nam illis morbis ita debilitatur natura iecoris vt ampliùs reſtitui in integrum non poſſit.

Hydropici à refrigerato Iecore per frigoris actionem, aut ab immodica euacuatione, faciliùs curantur: nulla namque adeſt priuatio, aut deprauatio: ſed tantùm debilitas Iecoris, quæ facilè reparatur. Hipp. 2. prognoſt. ſcribit. *hydropis non lethalis indicia sũt, ſi æger ſit viſceribus robuſtis, bene reſpiret, dolore vacuus ſit, toto corpore æqualiter caleat, nec partium extremarũ habeat colliquationem.*

In ſumma omnis ſpes aut deſperatio in hydrope ex viſceribus captãda; fruſtrà namque tum natura, tum ars molitur euacuationem flatus, aquæ, aut pituitæ, vbi deſperata vitia latent in viſceribus, ſcilicet ventriculo, renibus, & alijs.

In hydrope, qui per vrinas criticè iudicatur multum ſubſidere album leue, vt

vt æquale oportet, quo significatur naturæ supra materiã morbificã victoria. *Aqua intercutem laborantibus, exorta in corpore vlcera, non facile sanãtur*, ex aph. 6. lib. 6. quia vlcera exsiccatione egent: Hydrops verò est humidus. *Hydrope detento, si aqua è venis in ventrem confluxerit, soluitur morbus.* Aph. 14. lib. 6. si quidẽ materia tota effundatur, nulla superstite in iecore intemperie à qua renouetur noui hydropis historia. In coa. legitur. *Ineunte hydrope, si aquosa incidat diarrhea, cruditatis expers, morbum exoluit.* In principio hydropis apparẽtis fit cũ antea fuerint cõceptæ, & à natura superatæ aquæ, expelluntúrque vi & robore naturæ.

Quænam verò species hydropis sit periculosior, quæúe curari faciliùs possit, cæteris paribus, id est, in eodem gradu, & tempore æquali perquiritur. Doctiores respondent anasarcam esse minùs periculosum: nam illius causa faciliùs remedijs cedit, tum vires in eo sũt robustiores. Demum illius materia propiùs accedit ad sanguinem, quam ascitis, &

tis,& tympanitis: quibus addere possumus anasarcam ex deprauata victus ratione sæpius nasci: tum quòd in illo significatur robur naturæ expellentis materiam ad longinquas partes corporis.

Tympanites, hyposarcam proximè sequitur: ortum namque ducit à minori defectu ex Gal.comm.in aph. 11. lib. 4: inquit enim, *à maiori frigiditate generatur aquosus hydrops, quam tympanites: neque enim humida substantia in flatum conuertitur sine aliquo calore.* Quocirca in vniuersum ascites est periculosior tympanite.

## *De victus ratione hydropis in genere, & num in eo debeant mitti sanguis.*

MVlta existunt communia in victus ratione specierum hydropis, quæ recensenda sunt antequam de singulis dicamus Sunt autem communia, quia pars affecta communis est, Iecur nimirum, & cùm humoribus prauis redundet

dundet in Hydrope, habitus corporis, aut saltē venter imus. Aër est eligēdus calidus siccus. Ita tamen ne siticulosis maiorem sitim excitet, qualis est aër in montosis locis ad meridiem collocatis, & in maritimis, nisi verò tale eligere possis natura, vt illi non possunt, qui loca longè à mari dissita incolunt, & planities: arte talis est efficiēdus. Sōnus breuior solito cōuenit, ne aquosorū humorū vaporibus caput repleatur: multò enim plures ascēdēt in sōno quā tēpore vigiliarū. Hæc præcipuè intelligēda sūt in frigidis affectib⁹ primarij Iecoris. In hydrope nāq; calidis affectibus succedente, vigiliæ ęgros mirè exercēt. Quare somnus est illis concedendus, & aër moderat⁹ quærēdus, ne nimio aëris ardore dissipetur ōnino humidū redicale.

In lecto multa substerni possunt quæ valde conferunt. In frigidis namq; affectib⁹ culcitræ magis cōueniūt ex plumis factæ: in calidis verò ex lana. Exercitium multum prodest: & qui ambulandi facultate priuantur, lectica aut cymba vehantur oportet.

Hydropicis cōferunt frictiones, quia aperiunt poros, & attenuant, discutiūtque humores, & flatus. Sudor eliciēdus exercitio, aut alio modo in loco sicco, natura, aut arte comparato: hoc modo parabitur: instrumentum est fabricandum instar magni incunabuli longi, & alti quantum est corpus humanum, in quo iaceat æger substrata culcitra: eius verò latera virgis quibusdam ferreis separatis intexātur, ad formam eius craticulæ quæ focarijs Chirurgorū superponitur: operiatur illud stragulis, tum lapides calidi vino albo, aut alio irrorati, pannis inuoluti toto corpori apponantur, atque eo modo sudor eliciatur. Sunt sudatoria in balneis aquarum naturalium calidarum, vt Diniæ in Prouincia, & Aquissextijs, & multis alijs in locis.

Panis sit clibanarius, optimè fermētatus, & sale conditus, cuique sint semina admixta anisi, fœniculi ad flatus discutiendos: tum ad aquas attenuandas. vtatur carnibus sicciorib⁹ pinguedine expertibus; assis potiùs quàm elixis, vt

xis, vt auium, cũ quibus aromata ſemper miſceantur: nullos piſces comedat, cancros tamen fluuiatiles & marinos atque erinaceos edere poterit.

Leguminibus abſtineat generantibus prauum ſanguinem,& flatum.

Pro bellarijs ſumat piſtacia, amigdala toſta, vuas paſſas, corinthias & cappares.

Potus abſtinentia remedium præſtantiſſimum cenſetur, vt videre eſt ex illorum hiſtorijs qui ſola abſtinentia potus fuere ſanitati reſtituti, niſi æger velit imitari Metrodorum Epicuri diſcipulum, qui hydrope afflictatus, impatiens ſitis, poſtquam diu abſtinuiſſet, comminiſcitur remedium ſiti extinguendæ vtilè, nulloq; modo noxium: is namque poſtquã multum aquæ hauſiſſet eam vomere ſolebat. Verum hoc remedio omnes vti nõ poſſunt: nec omnes ſitim tolerare. Quare ijs qui calida, & ſicca intemperie laborant, aut Iecoris, aut aliarum partium, potus præbendus eſt, nõ ex ſola aqua, ſed cui admixtum fuerit vinum tenue, album pauci-

ferum quò faciliùs refrigeretur corpus, & vrina prouocetur. Multa ore contineri possunt ad sitim sedandam, multa item parari ad colluendum os, quę cap. de siti extinguenda lib. de febribus describemus. Fernelius consilio 37. docet masticem ore conuoluendam ad proliciendam aquam non tantùm è cerebro, sed etiam ventriculo ipso, propter continuitatem membranæ illius ventriculi, & linguæ, qua sedabitur ardor, & sitis. Ingeniosum remedij genus est hydropicis permittere, vt quantùm libuerit bibant, præparato potu, ex his quæ aquas ducere possunt per aluum & per vrinas.

Ad generalia remedia spectat hæc quæstio: Num in hydrope liceat sãguinẽ detrahere? huic respondent probati authores, In principio hydropis à suppressione hæmorrhoidum nati, mensiũ, aut solemnis alicuius euacuationis sanguis potest mitti, si vires valeant, vt oppressio quæ suffocationem affert caloris natiui auferatur.

In mensibus suppressis, & hæmorrhoidibus

dibus venæ inferiores sunt aperiendæ. In sanguineis iuuenibus vena brachij est aperienda. Tutius verò in hyposarca hoc fit, ob iamdictas causas, quàm in reliquis speciebus, præsertim cum materia illius sit in venis contenta.

## DE ASCITE.

PAthonomonica signa illius sũt grauitas ventris à pondere aquæ contentæ in abdomine: sonus, dum corpus commouetur ab aquæ impetu: tumor lucidus, & vtri similis: aqua enim lucida est. Vter Græcè Ἀσκὸς appellatur, vnde ascites dicitur. Causa huius proxima est sanguifica facultas læsa, ex qua plus aquæ quàm flatus generatur. Sunt enim semper flatus cum aquosa substantia in nostro corpore mixti. Causæ antecedentes multæ esse possunt, nimirum aut morbi partium, quibus succedit hæmatosis debilis per consensum: aut morbi proprij Iecoris, obstructio, plethora, refrigeratio, aut inflãmatio. Gignitur autẽ plus aquæ ab affectibus frigidis, à calidis plus flatus. Siccãt namq; hi hu-

hi humorem,& flatum multũ pariunt. Raró,aut nunquam tres species hydropis separantur. Quocirca indicationes sunt semper mixtæ,proinde & remedia mixta: tamen illius maior quantitas exigitur quòd dominantem causam oppugnat. In ascite aqua superat flatum, & pituitam:quare aquę sunt præparandæ,& purgandæ potissimùm.

A parte præcipuè affecta per se, aut per consensum ducitur indicatio eam corroborandi,&reficiendi:tum habenda est ratio partis in qua antecedens causa latet,vt ventriculi,cerebri,& reliquarum partium.

Propinato leui cathartico minorante,præparentur hydropici,corroborando iecur, cuius robur facit ad humorũ coctionem.Tum medicamentis aquas attenuantibus: sunt enim faciliores ad excernendum aquæ tenuiores.

Ergo ℞.rhabarb.infusi in aqua graminis ℥ ij. ß. expressioni adde diaphænici ℨ.ß. succi rosarum vel syrupi rosar. solutiui ℨ.ij. spicæ nardi puluerataæ ℈.ß. fiat potio minorans,detur mane.Deinde pa-

de parabitur opoſema, aut ſyrupus pręparans aquas ex attenuantibus, & incidentibus, additis ſemper ijs, quę corroborant viſcera, cum tota ſpes ſalutis conſiſtat in eorum firmitate: quale eſt.

℞. Sandali citrini ℥.j. radicum appetientium communium ℥. vj. radicis iridis noſtratis ℥.j.ß. cichorij, endiuiæ, cæterach, ſcolopendriæ, chamædrios, abſinthij pontici, ſtæchados, betonicæ an. m.j. ſeminum aniſi, fœniculi, vrticę, granorum Kermes, & citri mundati ana. ʒ.ß. florum anthos, ſtæchados, geniſtæ, violarum, borraginis ana. m. ß. fiat decoctio: in colaturę clarificatæ ℔.ij. ad aromatiſandum diſſolue pulueris diacurcumæ, aut triaſandali ʒ. j. ß. ad dulcorandum ſacch. q. ſ. pro iij. aut iiij. doſibus reiteretur apoſema donec præparatus ſit humor, & appareant ſigna coctionis in excrementis, aut ſi non appareant, ad deponēdam aliquam ſarcinæ partem, quod aquæ ſtagnando putreſcant, & incluſæ medicamento locum non concedunt.

Poſt tres, aut quatuor illas doſes me-

dicamenti præparantis,præbeantur hydrotica pharmaca,quæ tam multa ſunt vt ferè dinumerari non poſſint.

Ad præparãdas,& deducendas aquas mirabilis eſt ſyrup⁹ raphani à Fernellio deſcriptus qui examinatur à Boderono

Simplicia aquas ducentia ſunt ſuccus radicis ebuli, & ſambucci, dantur ʒ. v. vel vj. fiat decoctio ex mediano cortice ſambucci,de qua dẽtur ℥.vj.Itẽ ſuccus ſoldanellæ,vel eius puluis: ſuccus iridis expreſſ⁹ datur ad ℥.j.vel ℥.j.ß. cum ℥.j.ſapæ, aut ſacchari. Aqua deſtillata ex floribus iridis data ad ʒ.vj.vel ℥.j.cum ℈.j.triaſandali.Semper verò cum iſtis ſimplicibus alia ſunt admiſcenda, vt noxæ illorum corrigantur.

Squamma æris, ſiue æs vſtum datur à ʒ.j.ad ʒ.j.ß.cum iuſculo, admiſcenda caryophylorũ vel cinnamomi ʒ. ß.hoc remedio fuit curatus CAROLVS QVINTVS IMPERATOR, vt refert Foreſtus.

Laureolæ folia in vmbra ſiccata,& in puluerem redacta aceto infuſa,rurſuſq; ſiccata, ac conformatis,cum melle vel ſucco citonorum pillulis, ad ciceris magni-

magnitudinem. Si duæ exhibeantur, mirè conferunt hydropicis.

Radix cucumeris asinini longa in formam suppositorij indita ano mirè trahit aquas. Datur etiam ad ϶. j. mixta cum aqua mellita, & abundè quoq; educit aquas.

Semen ebuli contusum ad ʒ. j. ß. vel ij. datur cũ iusculo pulli, aut vitello oui. Exhibetur pariter ʒ. j. ß. hermodactylorum albissimorum cũ decocto ceratiorum siue siliquarum: quod decoctũ per se copiosè extrahit aquas.

Elaterium vehementer purgat aquas.

Composita prope innumera parantur ad Ascitem: vt. ℞. succi ireos ʒ. x. succi raphani ʒ vj. succi soldanellæ ℥. j. succi corticis interioris sambucci, aut radicis ebuli ℥. ß. syrupi de quinque radicibus ℔. j. bulliant in s. q. aquæ cuscutæ, fœniculi, & agrimoniæ æquis partibus, fiat syrupus magistralis cum s. q. sacchari, capiat aliquoties in mense ℥. iij. vel iiij. cum decocto conuenienti. Gordonius præscribit sequẽs remediũ. ℞. succi ireos, mellis rosat. collati par-

tes æquales, decoquantur in diplomate, vel duplici vase, per quartam horæ, deinde adde cinamoni puluerisati ʒ. j. exhibeatur ad ℥.j. vel ℥. j. ß. cum decocto radicum aperientium. vel

℞. pulueris radicis cucumeris asinini ʒ.j. vini generosi ℔.j. maceretur triduo in illo vino, fiant tres doses, atque illud iterandũ interpositis aliquot diebus. vel

℞. elaterij ℈.j. specierum pilular. elephanginarum ʒ. ß. succi bsinthij q. s. fiant pilulæ molles capiat, ex Sauonarolla. vel

℞. soldanelle ℥.j. hermodastillorũ ʒ.v. cinamoni ʒ.j. liquiritię ℈.ij. galãgę minor. lignialoes añ.ʒ.ß. schænãthi, laccę, añ.℈.j. cyperi, calami aromatici ana.gr.vj. seminum anisi, cardamomi ana.℈. j. rhabarb.ʒ.iij. fiat puluis, detur ʒ. j. vel. ij. cũ aqua aut conuenienti decocto. vel

℞. seri caprini ℔. ß. radicum iridis recentium mundatarum ℥. ß. bulliant simul ad consumptionem tertiæ partis: colaturæ adde sacchari ℥. ß. electuarij rosati ʒ j. capiat. vel

℞. succi radicum ireos depurati per residen-

residentiam ℥.j.bulliant cum saccharo, sumat cum ouo sorbili, aut sero caprino

℞.folliorum laureolę pulueratorum ℥.ß. infundantur per duos dies in æquis partibus succi cytoniorum & aceti, expressione facta incorporentur cum syrupo rosato solutiuo, fiat massa de qua potest dari ad pondus gr.x.vel

℞.decoctionis foliorum laureolæ ℥. iij.syrupi rosati solut.℥.ij.cinamomi ʒ.ß misceantur,& capiat.vel

℞.succi prassij albi depurati q.s.cum sacchari sufficienti quātitate: coquantur,& fiat syrupus.

Ad prouocandas vrinas spica nardi plurimùm valet: quare ℞.seri caprini ℥. iiij.spicæ nardi ʒ.iij.bulliant lento igne ad consumptionem tertiæ partis, detur sæpe.vel

℞.succi cucumeris asinini, farinæ orobi, æris vsti ana.℥.ß. dissoluantur cū succo lilij, cœlestis, illiniatur sæpe venter,& lumbi.vel

℞. pulpæ colocynthidos, cucumeris asinini recentis ana.pug.j. frōdium laureolæ triduo in aceto infusorum pug.j. ß.pisten-

ß.pistentur: fiat linimētum cum pauca cera ventria pplicādum imo. vel ℞.fimi columbini ℔. ß.laureolæ, colocynthidos an.℥.ß.succi absinthij pontici, succi cucumeris asinini ana.ʒ vj.succi ireos ℥ ß.cum cera fiat vnguentum, quo vngatur totus venter imus.

Rubeta decisa, & renibus superposita vehementer vrinā proritat. Eo remedio authorū sentētia multi fuere curati.

Fit tragema ex ʒ. j. pulueris hermodactylorum albissimorum cum liquore accomodato, vt ebuli, vel sambucci, ireos, soldanellæ: vel electuarium siccū cum saccharo ad eundem scopum.

Interim quia ista omnia remedia sunt violēta, interpositis diebus quibusdam, vtilissimum esset præbere tabellā vnam ex sequenti medicamēto corroborante stomachum, & hepar.

℞.specierum triasandali ℈.ij. vel dia curcumæ ℈.j.ß.rhabarb.electi, ʒ. ij. sacchari in aqua absynthi pontici dissoluti ℥.ij.fiant tabellæ pondere ʒ.j.capiat ieiuno stomacho vnam.

Quædam restāt remedia Chirurgica deferi-

ſcribenda Archigenis remedium erat ex Langio : ſupra internũ cruris œdemate turgentis malleolum, quatuor digitorum ſpacio, ſcalpello paulo profundius, quàm in venæ ſectione, & in orbem cucurbitulæ, adacto, & vlcuſculis ſale confricatis, ne ſanguis, vel ipſa concreſcerent : inde iugi ſcaturigine aqua guttatim emanante, totam hydropis aquam ſenſim educebant antiqui, idq; verum eſſe mea experientia comperi, inquit Langius.

Sectio verò hydropi neceſſaria eſt, ex Hip. ſection. enim 7. l. 6. epidemion aph. 9. ſcribit *hydropicos celeriter ſecare conuenit*, nimirum antequam corrumpatur ſiue alienetur Iecur. Tunc enim ſectio nullius eſſet vtilitatis. Aurelianus lib. 3. tardarum affectionum ſcribit, Quidam vituperarunt paracenteſim: nimirum Eraſyſtratus, & Theſſalus, his rationibus, quòd peritonæum membranoſum non facilè patiatur puncturam : quòd periculum ſit ne incidatur aliquod inteſtinum : quia aquæ eductio morbi cauſam nõ aufert, ſed tantũ

ſympto-

ſymptomata. Tãdem quia effuſa aqua extra ventris capacitatem pauci ſuperſtites maneant.

Aſclepiades autem, Themiſſus, & Soranus laudauerunt parachenteſim. Aurelianus teſtatur ſe vidiſſe nonnullos, qui ſectione euaſerunt. Quod autem plurimi moriantur cauſam affert Aurelius, quia ea curatio ſemper ſeriùs tentetur, nimirum quãdo diuturnitate factus eſt morbus incurabilis. Quam ob cauſam Hipp. iubet hydropicos citò ſecandos dum vires conſtant, nec viſcus iecoris eſt alienatum. Multos verò euaſiſſe is poteſt facilè perſpicere qui libros practicorum euoluerit. Argumẽta verò quæ à primis auctoribus in Hippocratem contorquentur, facilè ſoluũtur. Nam vulnera peritonæi facillimè ſanantur, neque inciduntur facilè inteſtina tumida, & læuia. De aquæ verò eductione veriſſimum eſt. Quare Hip. in principio ſecandos iubet: in quo tẽpore ſi ſecentur certa experientia euadunt. Præſcribenda ergo ſunt quæ obſeruari debẽt in hac ſectione. Primò vt

fiat

fiat in principio, cùm vires valent, nec alienatum eſt iecur, & non in omni ſpecie hydropis, ſed tantùm in aſcite. Fit autem illa ſectio paulò infra vmbilicum ad latus quatuor digitis, ob muſculorum rectorum aponeuroſes, idque in oppoſita parte affecti viſceris. Fit etiã ſectio per vmbilicum ex Celſo ca. 15. l. 7. quæ noua non eſt.

Verùm licet integrum ſit Medico vtroque modo progredi, tamen paracẽteſis eſt præferenda vmbilici ſectioni, eoquod tutiùs, & commodiùs euacuentur aquæ, locus namque eſt inferior multò vmbilico, ita vt parùm, aquæ remaneat in abdomine.

Si verò tumor ad teſticulos vſque deſcẽderit, in illis cauteria actualia, ſiue potentialia affigere poterimus, aut ſetonem.

Hollerius comm. in aph. 27. lib. 6. hodie inquit tutiùs agimus in paracẽteſi, habemus enim cannulas quaſdam argenteas perforatas quas in illud foramen immittimus, ijſque apertis (vt in cantharis illis ſtanneis fit) tantùm educimus

cimus aquæ quantùm volumus. Oportet autem sensim exhaurire aquam, ex Hipp. in aph. citato cùm inquit *quicunq; empyi hydropici dum vruntur, aut secantur, si pus, aut aqua simul & semel effluxerint, moriuntur.* Nam ex Hipp. aph. 51. lib. 2. *plurimum atque repente vacuare periculosum est.* Quare de internis affectionibus scribit Hipp. *per ferrum vrito hydropicos, & aquã sensim, & paulatim educito.* Quod præfiniuit Hollerius. Oportet, inquit, semel in die aquam detrahere quantùm vires ferre poterunt: & ita singulis diebus facere, vsque ad 12. diem, quo exacto quod videtur reliquũ potest totum simul, & semel detrahi: aut si viribus metuis, magna pars educi potest. Lege reliqua apud illum authorem loco citato. Multa alia excogitata sunt à Medicis remedia, vt ægrum tegere cumulo triticeo, quo curatos multos refert Forestus. Item littoris arena calida operiri eundem: aut furno repente includere præcipiunt ægrum.

DE

## DE TYMPANITE.

Tympanitem ostendunt tumor læuis à flatu : sonus à percussione: tensio magna:ructus, & multi crepitus à quibus alienatio, sed perexigua percipitur. Causa proxima est refrigeratio iecoris, quæ plus generat flatus quàm humoris frigidi.

Futuri tympanitis signa describuntur aph.11.lib.4. *tormina circa vētriculum, labor, atque lumborum dolor, qui nec medicamentis, nec alio modo solui potest:* cùm enim illa nascantur symptomata à flatu distendēte partes descriptas, nec possit earum intēperies vinci, quòd sit habitualis, & hectica, necessariò sequitur, vt tympanites inde nascatur.

In coacis cap.de Hydrope, scribitur *in siccis morbis hydropicis stillicidia vrinæ mala.* Nam omnis stranguria, nisi critica sit, mala est.

Critica autem fuit ex j. Epidemion, Thasis illis qui laborabant febre semitertiana diuturna. Inquit enim Hipp. *inter omnia signa fuit vnum vtile, & maximum*

*ximum quòd multos maximis periculis liberauit, quibus ſcilicet in ſtranguriam mutatio facta eſt, eóque abſceſſus cõnuerſi ſunt.*
Curationis ratio deducitur, ex eo quòd in tympanite licet flatus maiori copia colligatur quàm aqua; tamen aquæ sẽper aliquid admiſcetur. Quare medicamentis flatum diſcuſſiẽtibus ea ſunt ſemper admiſcenda quę aquas ducant: vitandaque illa quæ flatum generant. Sit ergo aër calidus ſiccus, fameat, ſitiat, exerceat corpus, pane vtatur biſcocto, & cum aniſo compacto: vitentur omnia quæ flatum pariunt, qualia ſunt omnia cruda, legumina, rapæ, caſtaneæ, lacticinia omnia, piſces, & ſimilia. Bibatur vinum vetus cum aqua decoctionis coriandorum: à paſtu ſumatur aniſum ſolum, aut incruſtatum ſaccharo.

Inſtituta victus ratione oportet primò præparare pituitam flatum generantem, ſyrupis de quinque radicibus, de mentha, & ſimilibus, apoſemate cõpoſito ex radicibus aperientibus, herbis, ſeminibus, floribus habentibus facultatem diſcutiẽdi flatus Deinde prę-

paratos

paratos humores purgare oportet medicamentis aquas purgantibus, & pituitam, & discutientibus flatus. Dissipant mirè flatus oleum anisi, & fœniculi, tũ aquę chymicè extractæ. Deinde oportet corroborare Iecur, & eius intemperiem corrigere vt diximus.

## DE HYPOSARCA.

HYposarca detegitur tumore corporis œdematoso, qui dum premitur, retinet imprimentis vestigium. Leucophlegmaticos ex Hipp. aph. 29. lib. 7. alui profluuium sanat, nimirum integris viribus, nec iam contracto malo in corporis habitu. Anasarca quod à pituita originem duxit, calidis, & siccis curatur: primò præparantibus, deinde euacuantibus: postremò auferentibus malam iecoris dispositionem, quæ cum frigida sit, videndum est num contigerit à calore retorrente. Nam hæc siquidem auxilium admittat, calidis, & moderatè humidis reparatur, vt in alijs speciebus hydropis. Si verò à frigido, & humido, calidis, & moderatè siccis, qua-

lia sunt syrupus de absinthio pontico; trosc̃isci de rhabarbaro, de absinthio, diacurcuma, & similia medicamenta; prægressis generalibus remedijs.

FINIS.

---

NOS F. Stephanus Marius sacrarum litterarũ professor, reformatę occitanę prouinciæ ordinis Predicatorum humilis Prior Prouincialis necnõ in Legatione Auenion. hereticæ prauitatis generalis Inquisitor permittimus Iacobo Bramereau Typographo Auenionensi imprimere librum cui titulus *Methodus cognoscẽdi, predicendi & curandi morbos eorumque symptomata* à Domino IACOBO FONTANO Doctore Medico Auenion. Datum Auenioni 6. Nouembris, 1601.




*F.S. Marius Inquisitor generalis sanctæ fidei.*